

BIBLIOTEKA


Zakl. Nar. Im. Ossolińskich

XVII

1.211

17  
18  
19  
20  
21  
22  
23  
24  
25  
26  
27  
28  
29  
30  
31  
32  
33  
34  
35  
36  
37  
38  
39  
40  
41  
42  
43  
44  
45  
46  
47  
48  
49  
50  
51  
52  
53  
54  
55  
56  
57  
58  
59  
60  
61  
62  
63  
64  
65  
66  
67  
68  
69  
70  
71  
72  
73  
74  
75  
76  
77  
78  
79  
80  
81  
82  
83  
84  
85  
86  
87  
88  
89  
90  
91  
92  
93  
94  
95  
96  
97  
98  
99  
100

v: *Spina;*





# H O M I L I Æ

D E C E M,

*4367.*

Supra Initium Cap: I.  
EVANGELII D. IOANNIS,

Habitæ & scriptæ Anno 1605.

*Quibus addita est*

*PARAPHRASIS super idem initium Evangelii.*

*S.*

Autore

VALENTINO SMALCIO GOTHANO,  
Cætus Racoviensis Ministro.



Edita R A C O V I Æ,

Anno 1615.

Typis Sternacianis.

15.835



XVII - 1211 - IV

MAGNIFICO ET NOBILISSIMO VIRO

DOMINO CASPARI  
IARVZELIS BREZNICIO,  
Domino suo gratioso,

*Autor gratiam & pacem a DEO Patre nostro & Domino nostro JESU CHRISTO precatur.*

**H**AS Homilias, quæ, per integrum hactenus decennium, inter alia hujus generis scripta non pauca delituerunt, in lucem protraxit Martinus Smiglecius IESUITA. Cùm enim nuper libellum, sub titulo, *Verbum Caro factum*, edidisset, ipsa res postulare quodammodo visa est, ut, refutatione illius expedita, aliquid præter eam extaret, unde non solùm, quanto cum errore ad exoticum prorsus sensum verba ista D. Ioannis hodie a plærisque detorqueantur, sed etiam, quidnãm in illis verè dicere & docere D. Ioannes voluerit, omnibus ad oculum appareret, quod mihi eas scribenti unicè propositum fuit. Quamquam etiam polemica quædam occurrunt, quæ

quæ, quò minùs demerem, hæc inter alias  
causa effecit, quòd aliorum etiam errores,  
quos Smiglecius non tractat, circa hanc D.  
Ioannis doctrinã eæ contineant & refutent.

Tibi autem, Vir MAGNIFICE & GENE-  
ROSE, oblatam eam volui: partim ut aliquod  
mei erga te, mei singulariter amantem, grati  
& benevoli animi extaret *τεκμήριον*: partim ut  
contestarer, tuque agnosceres, hanc esse ve-  
ram illam gratiam, & divinam doctrinam, in  
qua stamus, & quam publicè hætenus con-  
stanterque profitemur. Dominus IESUS te in  
ista gratia & veritate confirmet perpetu-  
ùm, & per te odorem notitiæ illius aliis e-  
riam manifestet. Quod, si cum vera pietate  
vixeris, futurum, nihil dubito. Racoviæ,  
Idus Iulii, Anni 1615.





# H O M I L I Æ

Decem,

Supra initium Cap: I.

EVANGELII D. IOANNIS,

## Homilia prima,

P R Æ F A T I V N C V L A.

**C**ELEBRANT it, qui Christum & ejus religionem profitentur, diem festum, quo memoriam recolunt natiuitatis Domini nostri Iesu Christi. Quod quo jure faciant, nolumus nunc examinare & persequi. Parum enim hoc ad rem facit, quam nobis tractandam proposuimus; nec de rebus adiaphoris ita digladiandum esse censemus, ac si ipsa religio & salus nostra æterna periclitetur. Aliud quid nunc nobis propositum est, ad quod accingimur. Omnes quicumque Evangelium prædicant, unanimi consensu nobiscum fatentur, annum jam labi 1605., ex quo Iesus Christus filius Dei ex virgine Maria natus est, ad quod confirmandum legunt etiam in suis cætibus initium capituli secundi Evangelii D. Lucæ, in quo & tempus, & locus, & testes natiuitatis illius apertissimè exprimuntur & describuntur: sed præter hanc sacris literis comprobatam Iesu Christi natiuitatem, conantur etiam iidem, vel maxima pars eorum, demonstrare alteram Iesu Christi natiuitatem, vel generationem, quam ante omnia secula & ab omni æternitate extitisse ajunt, nempe ex essentia Dei, & eam generationem, quia æterna est, idèd nunquam incepisse, nec unquam finiendam esse, sed semper durasse, durare, & duraturam esse, affirmare non dubitant: & hoc posito, eandem personam, quam ex essentia Dei genitam ante omnia secula, & eundem Deum esse, qui est Pater, contendunt, porrò (ut nonnulli barbare loquuntur) incarnatam esse, vel humanam naturam assumisse, & Deum illum summum hominem esse factum, affirmant. Qua in re quàm grauer hallucinentur, & quàm non tantùm ipsi sanæ rationi, sed etiam, quod majus est, sacris literis contraria affirmant, & quàm multa absurda sanctissimæ Christianæ religioni affingant, alibi a no-

Sententia de  
Christi æterna  
generatione.

stris prolixè demonstratum est. Nos verò nunc id tantùm demonstrare conabimur, quanta cum injuria hunc locum, quem examinandum suscepimus, ad hanc suam opinionem confirmandam detorqueant & pertrahant. Quod ut benè nobis succedat, faxit ipse Deus Pater noster, & Dominus noster Iesus Christus, cujus utriusque gloria hìc potissimùm agitur. Amen.

*Argumentum Initii capituli hujus.*

**A**LIO MODO descriptionem Evangelii sui ordiri D. Ioannem, quàm alios Evangelii Scriptores, apud omnes in confesso est: sed qua in re diversitas ista consistat, non omnes videntur esse assecuti. Plèrique enim credunt, Ioannem voluisse Divinam aliquam in Iesu Christo naturam describere. Quod quàm sit a veritate alienum, ex ipsa verborum explanatione postea apparebit. Nos itaque affirmamus, in hoc differre Ioannem ab aliis Evangelii scriptoribus, quòd reliqui pro concessò videntur sumere, Iesum esse Christum, nec singulariter illud probant, nisi quatenus historiae narratio id secum fert quodammodo: Ioannes autem, priusquàm ad acta Iesu Christi descendit, summopere probare conatur, Iesum illum, & neminem alium præter ipsum, cuius historiam descripturus erat, esse Servatorem mundi. Occasionem autem D. Ioannem accepisse credibile est, ex eo, quòd tunc temporis, cum scilicet Evangelium divinitus revelari incipiebat, alius etiam esset, qui pro Servatore mundi habebatur, nempe Ioannes Baptista. Sic enim de eo testatur D. Lucas: *Expectante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne, ne fortè ipse esset Christus, respondet Ioannes omnibus, &c.* Et hæc etiam causa esse videtur, cur toties in hoc ipso primo capite Ioannis Baptistæ & testimonii ejus mentio fiat. Probat igitur Ioannes in hoc initio capituli Divinitatem quidem Iesu Christi, sed illam veram, qua divina benignitate Patris sui præditus & donatus est, enumerans eas, quibus Christus aliis omnibus præstabat, dignitates & eminentias. Has autem eminentias & dignitates Iesu Christi quadruplici modo demonstrat. 1. Modus sumitur a quibusdam per se consideratis proprietatibus muneris Iesu Christi divinissimi. 2. A comparatione eiusdem cum Ioanne Baptista. 3. Modus pendet ab autoritate Apostolorum. 4. A testimonio ipsius Ioannis B. singulari. Quæ omnia nunc ordine suo explicabimus.

In quo differat Evangelii Ioannis initium ab aliis eiusdem scriptoribus.

*Luc. 7. 35.*

Modi quibus Ioannes Iesum probat esse Servatorem mundi. 4.

De proprietatibus muneris Jesu Christi  
per se consideratis.

**H**ARUM autem tres hoc in loco commemorat D. Ioannes. Prima continetur his verbis v: 1. & 2: *In principio erat Sermo, & Sermo ille erat apud illum Deum, & Deus erat ille Sermo. Hic erat in principio apud illum Deum.* In quibus verbis duo sunt consideranda. 1. Quomodo D. Ioannes tacitis objectionibus occurrens, ea diluat, quæ proposito suo obesse poterant. 2. Quomodo proprietates ipsas muneris Christi describat. Quæ proposito D. Ioannis (nempe de præstantia Iesu Christi) obesse poterant, duo erant. Vnum, Quod Ioannes Baptista prior Christo venerat, & munus suum inchoarat: Alterum, Quod ab initio Evangelii, quod a munere Ioannis Baptistæ incipit, Christus planè erat incognitus. Ex quo utroque concludi posse, videri alicui poterat, Ioannem Baptistam potius quàm D. Iesum pro Messia habendum. Hoc utrumque diluit Ioannes, & primæ objectioni opponit hanc suam affirmationem: *Sermonem*, hoc est, Iesum, *fuisse in principio*, nempe cum Ioannes Baptista docere cæpit, hoc est, jam tunc eum non tantùm quoad essentiam, sed etiam quoad munus extitisse reverâ, & fuisse eum, quem se postea esse revelavit. Nec eam causam fuisse, cur post Ioannem Baptistam venerit, quod ipso esset inferior, sed aliam eamque prorsus contrariam, nempe quod noluerit Deus, illum magnum legatum, qui jam paratus, & cujus gratia præcursor & *πρόδρομος* & Ioannes Baptista constitutus erat, mittere, priusquam ei via ab alio pararetur. Ait itaque *In principio, scilicet Evangelii*, quod incipit a prædicatione Ioannis, ut ex ipso initio Evangelii D. Marci videre est, qui sic ait: *Initium Evangelii Iesu Christi, sicut scriptum est: Ecce ego mitto*, &c. ob quam causam etiam D. Petrus in electione Matthiæ, qui Iudæ sufficeretur, talem esse eligendum ait, qui sit conscius omnium actorum, quæ ad Evangelium pertinent, incipiendo scilicet a prædicatione Ioannis, usque ad diem, quo in cælum receptus est D. Iesus. In principio, inquam *fuit*, hoc est, re ipsâ extitit, *Sermo*, hoc est, Iesus D., non quatenus tantùm natus, sed quatenus muneri suo destinatus erat. Certum enim est, Christum ratione muneris sui *Sermonem* appellari, de quo postea plura.

Alteri objectioni occurrit D. Ioannes, dum ait: *Sermonem illum fuisse apud Deum*, hoc est, *soli Deo cognitum*. Quomodo etiam dicitur æterna vita fuisse apud Deum. Idèdque non posse ex eo, quod ab initio hominibus ignotus fuit, concludi, eum planè non fuisse, &

Quid diluat D.  
Ioannes.

AA: 1, 51, 39.

1. Ioan: 1. 2.

consequenter pro primo autore Evangelii, vel Messia, non esse agnoscendum. Quia verò tunc temporis multum intererat, scire, Iesum & ab ipso initio, & re ipsâ fuisse Sermonem, hoc est, Servatorem mundi a Deo destinatum, etiamsi non statim ab ipso initio revelatus fuerit, nec omnibus innotuerit, repetit hoc utrumque conjunctim suo more D. Ioannes v: 2. *Hic, scilicet sermo, erat in principio apud Deum.* Et hanc quidem nos putamus esse verissimam horum verborum D. Ioannis sententiam.

Obiectio.

Responsio.

Cur nostra sententia amplectenda sit.

Sententia adversariorum de Ser-mone Dei.

Refutatio ejus.

At dicet aliquis, nos toto cælo errare, & ea afferre, quæ hæcenus per multa secula a nemine unquam inter Christianos allata fuere. Longè enim aliter omnia & singula hæc verba ab iis, qui Christi nomine gaudent, intelligi. At huic nos respondemus. In rebus divinis minimè curandum esse, quid antiquitus, quid a multis dicatur, si certum sit, ea contravenire apertissimæ veritati S. literarum. Docebitur autem Deo juvante, omnia adversariorum placita, quæ ex his verbis neſuntur, nullâ S. literarum autoritate fulciri, si priùs hoc præfati fuerimus, nostram explicationem talem esse, quæ nihil falsi, nihil absurdi, & nihil denique perniciosi in se contineat, & quam omnes Christiani nominis professores non possint non approbare. Quod etiam generaliter de omnibus, in quibus ab illis dissidemus, controversiis dici potest: & proinde veritatis apud homines cordatos non minimum est indicium: Quòd scilicet non tam falsa dicamur affirmare, quàm ea, quæ vera sunt, non sufficienter & plenè intelligere. Hoc verò apud omnes misericordiam, apud neminem verò odium nobis conciliare debet. Sed nunc age videamus, quanam sint Adversariorum sententiæ & placita de his D. Ioannis verbis. Primum est, quòd affirmant: D. Iesum Sermonem appellari non tantùm ideò, quòd nobis Dei voluntatem de salute nostra primus omnium exposuerit, sicut nos per sermonem animi nostri sensa aliis exponimus, quod ex v: 18. infra apparere quidam etiam ajunt: verùm etiam ideò, quòd sit essentialis Dei sermo, qui in Deo naturaliter inest, quem deinde adhibitis ad hanc rem variis variorum Philosophorum placitis, eundem essentiâ Deum cum Deo illo uno, qui Pater est, esse censent. Hoc autem illorum commentum rejiciendum esse nemo non videbit, si considerabit, hanc plus quàm Philosophicam opinionem nunquam in mentem venire potuisse D. Ioanni, qui vulgus hominum docere sibi proposuerat, & eis ostendere, Iesum esse Christum, ut infra sub finem cap: 20. de seipso affirmat. Velle autem sacrarum literarum puritatem cum philosophia ita commiscere, ut hæc illius sit

inter-

interpres, est religionem pessundare, & Philosophiam Theologiae præponere. Et hæc inter alias causa est, cur nolimus cum eis multum digladiari & contendere, qui freti hac sapientiâ Philosophicâ, quæ tamen nulla est, quidvis pro suo libitu de Filio Dei affirmare audent, ne scilicet cum hominibus, quibus religio parùm cordi esse videtur, parùm etiam irreligiosi ipsi esse videamur. Sufficiat nobis, quòd ipsi adversarii negare non possunt, veram esse Metaphoricam, quam vocabulo Sermonis attribuimus, significationem. Quam significationem ipse Ioannes v: 18. apertissimè expressit, & simul, quemhâc per tot versiculos ab initio per sermonem intellexerit, indicavit, nempe Iesum Christum. Hic est sermo ille, & hic ita est appellatus eò, quòd nobis Deum, hoc est voluntatem ejus enarraverit. Quanquam etiam potest inesse in hac voce Metonymiâ, qualis est, cùm Christus appellatur Veritas, Resurrectio, Vita, ut, quemadmodum Christus causa & autor est veritatis salutaris, resurrectionis, vitæ, scilicet æternæ, & propterea veritas resurrectio & vita appellatur: sic etiam, quia sermonis Dei, hoc est, voluntatis ejus singularis primus præco fuit, ideo sermo Dei appelletur. Præterea notandum etiam hoc est, quòd Iesus Dominus Sermo est ipsius Dei. At nemo sui ipsius sermo est. Vnde apparet, tantum abesse ut ex eo, quòd Christus Sermo est appellatus, concludi possit, eum esse ipsum Deum, qui scilicet Pater est, ut potius firmiter hinc concludi possit, eum nullâ ratione Deum æternum esse, qui Pater est.

Absoluto hoc primo commento, transeamus ad secundum: quod fingunt homines sagaces in vocabulo *erat*, quod mira quadam ratione torquent, & mirè sibi placent, dum ex eo ostendunt, jam tum eum fuisse, cùm principium esset, nec cœpisse existere in aliquo principio. At hoc totum est cum umbra sua pugnare. Quis enim nostram negat, Iesum re ipsâ fuisse in principio? At ajunt: Quis nescit Iesum fuisse in principio sui muneris? nedum Apostolis, sed ne viro quidè prudenti digni est tale enunciatum. Hic primum nescio, an aliquis nostrum ita scripserit, principium illud intelligendum esse de principio muneris Christi. Sed fortassis adversarii nostri, ut occasionem habeant nos carpenti, pro uno & eodem accipiunt Christi munus, & initium Evangelii. Quæ tamen diversa sunt. Deinde dico neminem quidem dubitare potuisse, an Christus fuerit in principio muneris Christi, dubitare autem jure potuisse, an in principio Evangelii fuerit, cùm Evangelii initium, ut supra demonstratum est, paulò ulterius ad tempora Ioannis Baptista referendum sit, quo Christus nondum munus suum cœperat. Desinant igitur ad-

Cur Iesus Sermo sit Dei.

Apoç: 19. 13.

Alterum commentum.

Responsio.  
Objeçtio.

Responsio.

tur adversarii insultare nobis, suam sibi umbram objicientes, & eam oppugnantes. Non enim sumus aded orbat omni mente & iudicio, ut ea, quae rationi apertè repugnant, dicere nos oporteat.

Tertium commentum.

Responsio.

Principium de certa rei principio intelligendum.

Sed nunc ad tertium commentum venimus, quod in voce principii neſtunt. Hanc enim dicunt intelligi debere de principio omnium rerum, & quia ante principium tempus non fuit, sed æternitas tantum, ideo Christum ab æternitate etiam fuisse concludunt. Ad hoc respondemus: Nihil esse quod nos cogat, vel quo Adversarii nos adigere possint, ut credamus, hoc in loco per principium simpliciter positum intelligi debere principium creationis, cum certum sit, tam in veteri quam in novo fœdere vocabulum Principii ad certarum rerum principia referri. Esai 52. 4: *Hæc dicit Dominus Deus, In Ægyptum descendit populus meus in principio, ut colonus esset ibi, & Assur absque omni causâ calumniatus est eum.* Quis vero propterea ausit affirmare, ab omni æternitate populum Israëliticum in Ægyptum descendisse, cum tempus expressum inveniat in ipsis S. literis? Dan: 8. 1. *Ego Daniel post id, quod videram in principio, vidi in visione mea &c.* Hic etiam neminem esse certò persuasi sumus, qui ex hisce verbis asserere audeat, Daniëlem ab omni æternitate visionem suam vidisse, quantumvis legatur, eum illam vidisse in Principio. In novo autem Testamento legitur Ioh: 15. 27. ubi Christus suos Apostolos ita alloquitur: *Et vos etiam testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.* Actorum autem caput 11. 15. D. Petrus sic ait: *Cum autem cepissem loqui, cecidit Spiritus S. super eos, sicut & in nos in initio. Quemadmodum igitur certum est, in priori loco de principio non simpliciter accepto, sed secundum subjectam materiam de principio muneris Christi, in posteriori verò, de principio effusionis Spiritus sancti, quod fuit die Pentecostes sermonem esse, licet vocabulum principii simpliciter sit positum: sic etiam in hoc loco ex vocabulo principii, quantumvis simpliciterposito, concludi nullo modo potest, hic de principio simpliciter accepto sermonem esse. Huc adde, qualecunque tandem principium intelligatur, nimis differre omne principium ab æternitate, aded ut alterum ab altero planè tollatur. Et si quis rem paulò accuratiùs introspeciat, quid tandem efficient Adversarii, si concedatur Principium significare hoc saltem in loco, cui tantum tribuunt, Æternitatem. *Esto, inquam, Principium significare æternitatem. Quid inde solidi ad eorum sententiam juvandam concludi tandem poterit? Hoc nè, quòd Christus ante omnia secula ab æterno fuerit? Nihil minùs. Nihil enim aliud dicit D. Iohannes, quàm Christum**

Christum fuisse in principio; undè colligi tantùm posset, Christum fuisse in æternitate. Cùm vero æternitas omne tempus, præteritum, præsens & futurum complectatur, quis non videt, quàm futile futurum sit Adversariorum argumentum, si ex eo, quòd Christus fuerit in æternitate, concludi debeat, quòd concludere certè, si modò ad rem loqui velint, debent, eum fuisse ab omni æternitate? Cùm planè differant, ab omni æternitate, & in æternitate; & extitisse aliquid in æternitate jure dici possit, quòd tamen ab æterno non fuerit.

Quartum & ultimum cõmentum Adversariorum nostrorum est, quòd ajunt, Christum fuisse *apud Deum* ante omnia secula, Quòd nullà suã vi nititur, sed tantùm alienã, si scilicet verum esset, Principium significare illam, quam isti somniant, æternitatem. Hoc autem negato, totum corrui, quòdcunque super hoc struxerunt. Possunt autem illa verba vel figuratè intelligi, ut paulò antè docuimus, ut is dicatur esse apud Deum, qui soli Deo notus est, vel etiam propriè. Nihil enim absurdi in eo esse videmus, si dicatur, Iesum Christum in principio Evangelii fuisse re ipsa apud Deum, cùm certo certius sit, Iesum Christum filium hominis in cælum ascendisse, & de cælo descendisse, ut nobis Divinam voluntatem annunciatet. Sic enim testantur hi loci Ioan. 6. 62. Et 16. 28. Et 3. 13. Decebat scilicet omninò, ut, quemadmodum Christus ipse præstabat omnibus aliis suis consortibus, & quemadmodum doctrina ipsius superabat Divinitate omnes alias, modus etiam, quo ei revelata fuit, omnibus modis, quibus aliis hominibus doctrinæ erant revelata, esset præstantior. Quia verò alii omnes, quibus unquam populum Dei docendi cura fuit imposita, vel ab Angelis, vel per visiones erant edocti, necesse quodammodo fuit, Iesum Christum ab ipso Deo immediatè doceri. Hoc enim modo nihil perfectius, nihil divinius. Atq; ita simplicissimè & propriissimè verba illa Christi accipiènda sunt Ioh. 8. 28. *Sicut docuit me Pater, ita loquor.* Non mirum autem videbitur alicui, Christum isto modo in cælos raptum, vel elevatum, a Patre suo cælesti edoctum fuisse, si consideret, Paulum, qui Iesu Christi servus fuit, in cælos raptum, ab ipso Iesu Christo immediatè ea doctum fuisse, quæ deinde alios docuit. Imò absurdum videri posset, servo id contigisse, Domino verò contingere non potuisse.

Non est autem sicco pede prætereundum, quòd, quemadmodum ea verba: *In principio erat sermo*, argumenta nobis contra adversarios nostros suppeditant: ut, si Christus est sermo, & sermo Dei, etsi ab initio fuit, nullo modo nec Deus ipse, cujus sermo est,

nec

Quartum cõmentum.

Responsio.

Quid sit apud Deum esse.

Christi in cælo existentia antequam munus suum obiret.

Raptus Pauli in cælum.

2. Cor. 11. 2, 3, 4.

Argumenta contra adversarios.

nec ab æterno esse possit: sic etiam hæc verba: *Et sermo ille erat apud Deum*, argumentum nobis aded firmum suppeditent, ut nullo modo ab ulla hominum, quantumvis astutorum, industria infringi possit. Certum enim est, vel ipsis etiam adversariis testibus, vocabulum Græcum *θεός* cum articulo positum, Patrem significare, vel totam Trinitatem. Vnde colligi jure potest, Christum esse alium Deum, quàm est Pater, vel illa Trinitas. Nemo enim apud se ipsum esse potest. Repudiatis itaq; hisce commentis, id quod res est, teneamus, & certò statuamus, D. Iohannem hisce suis verbis, tacitis quibusdam, quæ adversus Christi præstantiam, quam is descripturus erat, moveri poterant, objectionibus occurrisse, & ea dubia solvisse, quæ aliquem turbare potuissent, hoc modo: *Quòd*, etiamsi concedit, Iohannem Baptistam priorem tempore fuisse, quàm Iesum, & Iesum ab ipso initio Evangelii non fuisse cognitum: negat tamen Iesum Christum Ioanne Baptista fuisse inferiorem. *Quia* scilicet tunc temporis, cùm Evangelium cœpit, quando Ioannes docendi munus aggressus est, jam Iesus extiterit & fuerit sermo, hoc est, Servator mundi, definitè a Deo ad hoc munus destinatus, ut paulo pòst illud subiret, & exequeretur. Et etiamsi fuerit hominibus ignotus, & apud eos, ut sic loquar, D. Iohannem imitatus, nondum extiterit, fuerit tamen apud Deum. *Qui* propter certas causas eum priùs esse voluit servatorem mundi, quàm hominibus patefieri, ut vel hinc etiam ipsius D. Iesu majestas appareret. De quo paulo infrà plura. Hæc sufficiant de isto priori membro horum primorum verborum, in quo diximus Iohannem diluere ea, quæ objici suæ scriptioni de præstantia Iesu Christi poterant,

Nunc ad alterum veniamus, in quo considerandum, quomodo D. Ioannes istas proprietates muneris Christi perse consideratas describat. Sunt autem tres. Primam absolvit his verbis: *Ei Deus erat ille sermo*. Deum appellat istum sermonem, de quo agit, & hoc ipso eum præfert omnibus aliis, & ipsi Ioanni Baptista. *Quod* ut rectiùs intelligamus, duo nobis facienda sunt. Vnum est, ut videamus, quid ex his verbis extruere conentur Adversarii. Alterum, quanam vera sit horum verborum sententia,

*Quod* ad prius attinet: exclamant hîc Adversarii, & mirificè sibi placent, dum ita rem suam verbis sesquipedalibus exornare, & imperitis eam obtrudere satagunt: En quid apertius dici potuit a Ioanne ad demonstrandam Christi divinitatem, quàm quòd eum Deum simplicissimè appellat, dum ait: illum sermonem, qui fuit ab initio, qui fuit apud Deum, Deum etiam fuisse, ut scilicet omnem, qui ex



quæ ex verbis prioribus parum rectè intellectis restare posset, eximeret dubitandi occasionem? ô vos miseros, ô vos deploratos, ajunt, qui mitius loquuntur; ô vos perditos, ô maledictos, clamant, qui spiritu Antichristi reguntur, vos, inquam, Arianos (sic enim nos appellare eis visum est) qui verbis D. Ioannis tam manifestis fidem non adhibetis, & Iesum Christum Deum esse negare non desistitis! Sic nos eos pro imperio nobiscum agentes & detonantes audire oportet. Interim nobis vix datur locus respondendi. Semper enim ille, qui aliquid negat, quod ab hominibus colitur, quantumvis id falsum sit, exosus est & omnibus invisus, & ne terra ei dehiscat, omnes metuunt. Tanta est erroris, si antiquitate ceu canicie quadam exornetur, admiratio & terror. Ita accidit Luthero, cum negaret Papam eum esse, quem is sese jactitat; cum Missæ tantum non tribueret, quantum ei Pontifici tribuunt: cum aliis, quæ tremenda erant & adoranda in Papatu mysteria, confidendum non esse innueret: Et tamen dies docuit, ea omnia, quæ tantopere ab hominibus colebantur & adorabantur a majori orbis Christiani, qui in Europa est, parte, fabulas esse aniles & profanas. Itaque fieri potest, ut hoc ipsum, quod hactenus maxima pars Christianorum amplectitur, alii tanquam factum a suis majoribus prognatum, alii verò ut alienum, & per alios ad se delatum foveant, & mirificè sibi ipsis, dum id colunt & adorant, placent, agnoscatur esse error non minùs gravis, quàm alii fuere, qui scilicet & Divinæ gloriæ, & hominum saluti plurimùm obsit. Aggrediamur igitur responsionem ad istam tam pomposam & verbosam nostrorum Adversariorum objectionem, & pari cum aliis, qui ante nos bellum regno Antichristi intulere, animositate, (cum majori tamen modestiâ studio) quomodo ab eis hac in re erretur, detegamus. Audite igitur omnes, qui tantum huic tribuitis argumentatiunculæ, quam ex verbis D. Ioannis nectitis. Concedimus vobis, & confitemur, sermonem illum Iesum Christum esse *Deum*. Quid vultis amplius? Dicetis: si est Deus. Ergo est verus Deus. Concedimus & hoc, imò contendimus, si Christus est Deus, eum verum esse Deum, At dicetis porrò: non creditis eum esse Deum eundem, qui est Pater, æternum, creatorem cæli & terræ? Respondemus, non hoc probatum fuisse in argumento: sed tantum simpliciter affirmatum, Iesum Christum sermonem esse Deum. Videtis igitur, quàm facile sit alicui insultare; quàm difficile verò sit causam ostendere, cur quis insultet. Ostendite omnes, quotquot estis, conferte omnia vestra consilia, ingenia, judicia, studia, Iesum Christum esse Deum illum eundem, qui Pater est, æternum, creatorem cæli & terræ, & protinus manus dabimus. Nimis enim

In religione non curanda est qualiscunque anti-  
quitas.

Responsio.

absurdum est, ex eo, quòd alicuì tribuatur nomen Dei, concludere, eum esse Deum illum unum, æternum, creatorem cæli & terræ. Hic fat scimus eos nihil habituros, quod amplius directè respondeant. Quidam enim dicent, hîc considerandam esse in Divina essentia trium personarum differentiam, quâ fiat, ut & Deus Pater, & Iesus Christus Deus appelletur. Sed hæc personarum differentia nunc est in controversia: quomodo igitur ad probationem alicujus rei admitti poterit? Alii nos ridebunt, & dicent: Ergo vos colitis duos Deos, unum Patrem, alterum filium; unum æternum, alterum qui in tempore extitit; unum, ut nostris Adversariis loqui liberum est, & libet, natu grandiolem, alterum natu minorem; atq; ita estis Ethnicis, & Ethnicis deteriores. Hic primum eos, qui nos ita rident, & nobis insultant, monemus, ut Deum metuant, ne eos graviter aliquando puniat. Nam in negotio religionis nihil ridendo alium proficitur, & si quis erret, commiseratione dignus est, non insultatione. Deinde verò dicimus, mirum videri debere, hoc nobis ab illis objici, inter Christianos, qui & ipsi non verentur, non tantum Deum & Iesum Christum, sed etiam alios multos, de quorum tamen Divina potentia nihil certi affirmare possunt, Divinum cultum & reverentiam exhibere, adèd ut loco ejus, quòd Spiritus S. in sacris literis, cum Deo Iesum Christum filium ejus, vel Agnum conjungere solet, illi non vereantur cum Deo Mariam matrem Iesu Christi conjungere, & Divinam illi gloriam tribuere. Laus Deo, ait Bellarminus, & Beatæ virgini Mariæ. Vni secunda Deo, appositum est in quibusdam Iesuitarum aris, ad picturam virginis Mariæ. Quis hîc non videt, nos, si vellemus, & si crederemus, hac ratione aliquid posse profici, optimo jure eos & ridere & eis insultare posse? Reliqui omnes Christiani, nonnè sponte suâ fatentur, Patrem esse Deum, Filium esse Deum, Spiritum S. esse Deum: nonnè in templis ipsorum hoc decantatur ex Symbolo Athanasii? Quis verò hîc non posset eos exagitare, si vellet, quòd tres Deos colant, & ita Ethnicis sint deteriores? Quod enim ait Athanasius, & illi cum eo, *Pater Deus, Filius Deus, Spiritus S. Deus: & tamen non sunt tres Dii, sed unus Deus*, illud est, aliquid semel dare & affirmare, & iterum accipere & negare, & ex stultis insanos velle facere, dum id, quod unum esse dicitur, & unum est numero, dicitur esse non unum sed tria. Qua de re non pauca nostrorum extant in publicum edita scripta, quibus absurditatem istius opinationis satis abundè demonstrârunt, adèd ut, quicquid a defensoribus istius dogmatis contra ea, quantumvis subtiliter & ingeniosè scriptum, est potius unquamq; docere possit, quomodo ista opinatio non autoritate sacrarum literarum (quæ sola hac in

hac in re valet) sed consequentibus quibusdam plusquam Philosophicis nitatur, quàm veritatem ejus alicui ostendere; & ausim hoc dicere, quo diutius audebunt nostri Christiani Philosophi dogma illud ex principiis Philosophicis demonstrare (quod tamen an eis liceat, nec ne, alii judicent) tanto magis apparebit ejus absurditas & impossibilitas, ita ut, si saperent, multò rectiùs facerent, si omnibus Philosophicis commentis, quæ a quovis Philosopho possunt enervari, & in nihilum redigi, rejectis, ad solas sacras literas confugerent, & inde istud suum dogma aliis probare niterentur. Hæ enim apud omnes indubitata obtinere fidem: nec fieri potest, ut in sacris literis id non sit expressissimè & sufficientissimè descriptum, quod religionis est & prora & puppis, ut nostri Adversarii de sua Trinitate existimant. Sed ad rem. Dicimus igitur, argumentum nostrorum Adversariorum, si seriò nobiscum agant, nullius esse valoris, aut momenti. Nam si concederemus, duos a nobis Deos colimus, propterea damnandi essemus, aut Ethnicis essemus deteriores? Nonné ipse D. Ioannes ait, sermonem, quem Deum esse affirmat, fuisse apud illum Deum? Si ergò unus Deus, qui est Sermo, fuit apud illum Deum, qui Pater est, nonné videtur affirmare, duos esse Deos? At dicent: Scriptura ait, unum tantum esse Deum. Respondemus: si, quod obijcitur, intelligatur de libris veteris Fœderis, mirum videri non debere; cùm tunc temporis nemo alius præter ipsum unum Deum, Deus esset, qui unâ cum Deo uno esset Divino cultus afficiendus. Si verò de libris novi Fœderis id intelligatur, considerandum est, dici quidem Deum unum esse, sed tamen plerumque addi, quis sit ille Deus unus, nempe Pater ille, ex quo omnia, & nos in ipsum, ut scilicet inde appareat, certo quodam respectu dici, Deum unum esse, quatenus scilicet unus tantum talis est, qui Pater est, & ex quo omnia sunt, & nos in ipsum. Atque ita an Ethnicus vel Ethnico deterior propterea sit habendus aliquis, quòd colat unum Deum summum, alterum verò Deo subordinatum, vel Deo minorem suo modo, hoc ipse Deus judicet, & omnes viri probi & cordati. Nos quidem ita persuasum habemus, non propterea culpandos fuisse Ethnicos, quòd colerent unum Deum majorem, alterum minorem: sed quòd Deos non duos, sed multos, & ferè innumerabiles ipsi sibi confinxissent, & inter eos pro libitu suo cælum, terram, & mare partiti essent. Qui verò hodie colit unum illum Deum tanquam summum, & Iesum Christum tanquam a Deo ad Divinitatem evectum, & eidem Deo subordinatum, is tantum abest, ut Ethnicus haberi debeat, ut is potiùs solus sit verus Dei cultor. Qui enim hodie non colit filium, & colendo filium, Patrem, is

Objectio.

Responsio.

1. Cor. 8. 6.  
Ephes. 4. 4.

neque Deum Patrem colit. ii verò, qui unum tantum Deum sub novo Fœdere colunt, & ad cultum Divinum Iesum Christum, qui homo est, admittere nolunt, propius ad Iudaicum, quam ad Christianum spiritum accedere jure dici possent, si quis summo jure cum eis agere vellet. Quid enim apertius in libris novi Fœderis præcipitur, quid crebrius inculcatur, quam cultus Dei Patris & Iesu Christi, non tanquam unius Dei, sed Dei tanquam causæ salutis nostræ primæ & finis ultimi, & Iesu Christi tanquam causæ secundariæ? Nonné vult Pater, ut omnes honorent filium, sicut honorant Patrem? Nonné pacem & gratiam precantur Apostoli a Deo Patre & Domino Iesu Christo? Nonné testatur D. Ioannes in Apocalypsi: *Et sedenti in throno & Agno reddi Divinum cultum ab omnibus, quæ sunt in cælo & in terra & in mari, &c.* Non Ethnicismus igitur, sed proprietates cultus Divini populi Christiani est, colere unum Deum, qui est ex seipso Deus, & ex quo omnia; & colere unum Dominum Iesum Christum, qui est illi uni Deo subordinatus, & per quem omnia. Cujus rei quos pudet, eos certum est, nondum verè cognovisse majestatem Christianæ religionis sanctissimæ, purissimæ, divinissimæ. Sic igitur profligato argumento nostrorum adversariorum, obiter etiam ostendamus, quòd ex his verbis doceri & demonstrari possit, Iesum Christum non esse illum unum Deum, quia scilicet Deus ille unus, apud quem Iesus Christus fuit, hoc in loco cum articulo efferatur, Iesus autem Christus absque articulo. Vnde apparet insignis inter utrumque differentia, quæ etiam alibi indicatur in sacris literis, quòd nimirum quando vocabulum *Deus* de Christo scriptum legitur, nunquam tanquam subjectum consideretur, sed tanquam prædicatum. Vnde apparet, hoc esse Christi Iesu, qui est subjectum, quasi encomium. Exempli causâ, nusquam legitur, cum de Christo sermo est: Deus hoc fecit vel illud, ut per vocabulum *Deus*, Christus intelligatur, quemadmodum de Patre summo illo numine millies ita legitur, & pro vocabulo *Deus*, quod ita collocatur, semper Deus Pater potest supponi.

Ioan: 5. 23.

Rom: 1. 7.

Apoc: 5. 13.

Obiectio.

Responsio.

At dicet aliquis: Quomodo igitur hæc D. Ioannis verba interpretamini, siquidem non isto modo ea intelligitis, quò vulgus Christianorum ea intelligit? Respondemus igitur (& nunc alterum eorum, quod in descriptione hujus primæ muneris Iesu Christi proprietatis considerandum esse dixeramus, aggredimur) nos vocem hanc *Deus* intelligere de Christi munere non natura: & Christum Deum appellatum esse dicimus, quia totus fuit divinus, vel quia omnia & singula, quæ in ejus munere apparuere, & apparent, plena sunt

na sunt Divinitate, ita ut aliorum, qui ante eum fuere, Prophetarum munera humanum aliquid potius fuerint, quam Divinum, si cum Christi munere conferantur. unde etiam nemo prophetarum unquam ob munus suum Deus appellatus fuit simpliciter, quem admodum Christus ob munus suum propheticum hoc in loco appellatur. Similem loquendi modum, qui hanc nostram explicationem confirmat, habes infra cap: 10. 36. ibi enim Christus ait, se idem filium Dei, vel Deum esse, quod a Patre sanctificatus, & in mundum missus fuerit. Quod utrumque ad munus ejus, quod in terris gessit, & nunc in caelis gerit, referendum esse, nemo non videt, qui considerat, eum cum hominibus rem habere, qui Christo Divinitatem invidebant, quos Christum ad suam illam incomprehensibilem Divinitatem relegasse nimis absurdum est dicere; incertum enim per incertius probasset. Ea autem omnia & singula, quae in Christi munere plena Divinitatis apparere & apparent, propter quae Deus est appellatus, haec sunt: ut Divino modo conceptus erat & natus, ita Divino ad munus suum obeundum modo fuit designatus: Spiritu sancto absque mensura donatus: Divino modo ab ipso Deo edoctus: Divinam vitam innocentiam praeditus, Divinam sapientiam ornatus, Divinam potentiam illustis, Dei ipsius personam sustinens. Divinam autem, quam nunc habet, gloriae & potentiae ita erat tunc, cum in terris degeret, destinatus, ut nullo modo eam privari posset. Atqui propter multo minora Divinitatis argumenta homines Deos esse appellatos, sacrae literae testantur, & respectu rei futurae nomen etiam alicui dari posse, nemo nescit. Itaque quemadmodum alii homines, qui Dii appellabantur, sic appellantur ratione & respectu aliorum hominum, qui Dii non sunt, sed illis Diis quasi subjecti: sic Christum Deum fuisse & esse statuendum est, non tam ratione aliorum, qui Dii non sunt, quam eorum, qui & ipsi dii a Deo ipso constituti erant. Quantum enim praestabant dii hominibus vulgaribus: tantum (imò multo plus) praestat Iesus Christus omnibus, quibus aliqua unquam Divinitas competiit. Dii appellantur, qui populum Dei docebant, regebant & curabant, inter hos primus est Iesus Christus & perfectissimus, ita ut ratione & respectu eorum *κατ' ἐφοχὴν* ita appellari possit. Quemadmodum Deus ille unus, Deus *κατ' ἐφοχὴν* appellatur, ratione & illorum & ipsius Iesu Christi. Iesus Christus est, qui nos docet Divino modo. nam procul a nobis remotus solo verbo, & promissis suis flectit non tantum corpora, sed & animos hominum, & eos ita sibi subjugat, ut nullus unquam Rex tales subditos tam sibi fideles habuerit, quales Christus

Cur Sermo Deus appellatus sit.

Similis locus:

Divinitas Christi.

Christus est Deus Deorum, aliorum omnium.



neque Deum Patrem colit, ii verò, qui unum tantum Deum sub novo Fœdere colunt, & ad cultum Divinum Iesum Christum, qui homo est, admittere nolunt, propiùs ad Iudaicum, quàm ad Christianum spiritum accedere jure dici possent, si quis summo jure cum eis agere vellet. Quid enim apertius in libris novi Fœderis præcipitur, quid crebriùs inculcatur, quàm cultus Dei Patris & Iesu Christi, non tanquam unius Dei, sed Dei tanquam causæ salutis nostræ primæ & finis ultimi, & Iesu Christi tanquam causæ secundariæ? Nonné vult Pater, ut omnes honorent filium, sicut honorant Patrem? Nonné pacem & gratiam precantur Apostoli a Deo Patre & Domino Iesu Christo? Nonné testatur D. Ioannes in Apocalypsi: *Et sedenti in throno & Agno reddi Divinum cultum ab omnibus, quæ sunt in cælo & in terra & in mari*, &c. Non Ethnicismus igitur, sed proprietatis cultus Divini populi Christiani est, colere unum Deum, qui est ex seipso Deus, & ex quo omnia; & colere unum Dominum Iesum Christum, qui est illi uni Deo subordinatus, & per quem omnia. Cujus rei quos pudet, eos certum est, nondum verè cognovisse majestatem Christianæ religionis sanctissimæ, purissimæ, divinissimæ. Sic igitur profligato argumento nostrorum adversariorum, obiter etiam ostendamus, quòd ex his verbis doceri & demonstrari possit, Iesum Christum non esse illum unum Deum, quia scilicet Deus ille unus, apud quem Iesus Christus fuit, hoc in loco cum articulo efferatur, Iesus autem Christus absque articulo. Vnde apparet insignis inter utrùque differentia, quæ etiam alibi indicatur in sacris literis, quòd nimirum quando vocabulum *Deus* de Christo scriptum legitur, nunquam tanquam subjectum consideretur, sed tanquam prædicatum. Vnde apparet, hoc esse Christi Iesu, qui est subjectum, quasi encomium. Exempli causâ, nusquam legitur, cum de Christo sermo est: Deus hoc fecit vel illud, ut per vocabulum *Deus*, Christus intelligatur, quemadmodum de Patre summo illo numine millies ita legitur, & pro vocabulo *Deus*, quod ita collocatur, semper Deus Pater potest supponi.

Objeçtio.

Responsio.

At dicet aliquis: Quomodo igitur hæc D. Ioannis verba interpretamini, siquidem non isto modo ea intelligitis, quò vulgus Christianorum ea intelligit? Respondemus igitur (& nunc alterum eorum, quod in descriptione hujus primæ muneris Iesu Christi proprietatis considerandum esse dixeramus, aggredimur) nos vocem hanc *Deus* intelligere de Christi munere non natura: & Christum Deum appellatum esse dicimus, quia totus fuit divinus, vel quia omnia & singula, quæ in ejus munere apparuere, & apparent, plena sunt

na sunt Divinitate, ita ut aliorum, qui ante eum fuere, Prophetarum munera humanum aliquid potius fuerint, quam Divinum, si cum Christi munere conferantur. unde etiam nemo prophetarum unquam ob munus suum Deus appellatus fuit simpliciter, quem admodum Christus ob munus suum propheticum hoc in loco appellatur. Similem loquendi modum, qui hanc nostram explicationem confirmat, habes infra cap: 10. 36. ibi enim Christus ait, se idem filium Dei, vel Deum esse, quod a Patre sanctificatus, & in mundum missus fuerit. Quod utrumque ad munus ejus, quod in terris gessit, & nunc in caelis gerit, referendum esse, nemo non videt, qui considerat, eum cum hominibus rem habere, qui Christo Divinitatem invidabant, quos Christum ad suam illam incomprehensibilem Divinitatem relegasse nimis absurdum est dicere; incertum enim per incertius probasset. Ea autem omnia & singula, quae in Christi munere plena Divinitatis apparere & apparent, propter quae Deus est appellatus, haec sunt: ut Divino modo conceptus erat & natus, ita Divino ad munus suum obeundum modo fuit designatus: Spiritu sancto absque mensura donatus: Divino modo ab ipso Deo edoctus: Divinae vitae innocentiam praeditus, Divina sapientiam ornatus, Divina potentiam illustris, Dei ipsius personam sustinens. Divinae autem, quam nunc habet, gloriae & potentiae ita erat tunc, cum in terris degeret, destinatus, ut nullo modo eam privari posset. Atque propter multo minora Divinitatis argumenta homines Deos esse appellatos, sacrae literae testantur, & respectu rei futurae nomen etiam alicui dari posse, nemo nescit. Itaque quem admodum alii homines, qui Dii appellabantur, sic appellantur ratione & respectu aliorum hominum, qui Dii non sunt, sed illis Diis quasi subjecti: sic Christum Deum fuisse & esse statuendum est, non tam ratione aliorum, qui Dii non sunt, quam eorum, qui & ipsi dii a Deo ipso constituti erant. Quantum enim praestabant dii hominibus vulgaribus: tantum (imò multo plus) praestat Iesus Christus omnibus, quibus aliqua unquam Divinitas competiit. Dii appellantur, qui populum Dei docebant, regebant & curabant, inter hos primus est Iesus Christus & perfectissimus, ita ut ratione & respectu eorum κατ' ἑξοχὴν ita appellari possit. Quemadmodum Deus ille unus, Deus κατ' ἑξοχὴν appellatur, ratione & illorum & ipsius Iesu Christi. Iesus Christus est, qui nos docet Divino modo. nam procul a nobis remotus solo verbo, & promissis suis flectit non tantum corpora, sed & animos hominum, & eos ita sibi subjugat, ut nullum unquam Rex tales subditos tam sibi fideles habuerit; quales Christus

Cur Sermo Deus appellatus sit.

Similis locus:

Divinitas Christi.

Christus est Deus Deorum aliorum omnium.



stus habet, quantumvis minentur & omnia intentent. Iesus Christus est, qui nos regit Divino modo. Potest enim & corporibus, & animis leges ponere; animos nostros scrutatur, omnia tenet, quæcunque sunt in cælo & in terra, nemine & nullâ re exceptâ præter solum Deum. Parent ei Angeli; exhorrescunt ejus imperium Dæmones; homines partim eum timent, partim colunt. Quicquid est bonorum spiritualium, id potest Christus dare cui velit: Pœnas quasvis gravissimas inferre sibi immorigeris potest, tam corporales quàm spirituales, tam temporaneas quàm æternas. Iesus Christus est, qui Divino modo nos curat, veritatem suam salutarem patefacit, promovet, illustrat, mentibus hominum sensim eam instillat, Spiritum suum sanctum largitur tam docentibus quàm discipulis; ubique præsto est, auxiliatur, opitulatur; ex metu, ex periculis, ex vinculis, ex ipsâ morte liberat; spiritus morientium pro se, in manus suas recipit; omnes tandem ex mortuis resuscitabit, & vitâ æternâ donabit. Dubitabimusné igitur Iesum Christum fuisse & esse Deum verum, Deum æternum, si æternitatem ex parte post consideres, in quo tot & tanta extitère, extant, & extabunt Divinitatis documenta? Quorum singula cum satis superque docere possint eum Deum esse, omnia simul juncta quomodo id non docerent? Proximus est Christus Iesus homo ille, qui aliquando mortalis fuit & mortuus, a summo illo Deo, rerum omnium creatore & cõservatore. Deme, quod ad potestatem attinet, hoc, quod Christus non a seipso Divinitatem habeat: deme, quod non tam latè pateat ut Patris Divinitas, quæ etiam in Christum extenditur: deme, quod Regnum suum Patri olim traditurus est, & tribue ista Patri uni illi Deo, tanquam prærogativas; quicquid deinceps est præterea divinæ potestatis, totum hoc Christi est: Dominus est cæli, Dominus terræ, Dominus Angelorum & hominum, Dominus omnium, solo Deo excepto. Relinquamus igitur aliis ipsorum opinationes, quibus sese extollunt, & de quibus gloriantur, absque omni fructu & gloria Divinæ & salutis suæ: Prædicent alii Iesum esse Deum illum summum, unum, creatorem omnium; placeant sibi, dum ea prædicant; cæci sunt, miseri sunt, quibus adempta est veritas, qui oculos ad ejus splendorem claudunt, ipsis sibi invidentes, quod Deus extare voluit pro perpetuo humani generis solatio, & fidei eorum confirmatione: Nos verò acquiescamus huic sanctissimæ, quam de Deo & Iesu Christo didicimus, confessioni. Miremur Christi Divinitatem veram, miremur in ea, ipsius Dei divinitatem. Qui tantum scilicet, quantus est Christus, Deum efficere potuerit & effecerit hominibus



minum causa, & tamen ipsius Deus perpetuò esse pergat. Colamus & Iesu Christi, & Patris (eum colendo) divinitatem; revereamur, adoremus utrumque. Consolemur nos, quòd talem & tantum Deum habeamus apud Patrem nostrum, qui omnia dare possit, quibus ejus populus indiget, & in cujus manu sita est ipsa immortalitas; quâ consolatione omnes ii carent, quicumq; aliter de Christo sentiunt: ita ut audacter & verè dicere possimus, Neminè salutis æternæ certam prorsus spem (vi confessionis suæ) habere posse, qui credit, Iesum Christum aliam naturam præter humanam habuisse. Atque hæc pauca de re latissimè patente nunc sufficiant. Absoluta est igitur hæctenus prima Iesu Christi muneris proprietatis & præstantia, quâ ut omnes alios, sic etiam ipsum Ioannem Baptistam superavit.

## Homilia secunda.

**P**ROGREDIAMUR nunc ulterius ad considerationem secundæ proprietatis muneris Iesu Christi, quâ præstare eum omnibus aliis, quicumque unquam fuerant, Dei ministris & voluntatis illius præconibus, D. Ioannes probat. Hæc autem his verbis continetur: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est neque unum, quod factum est.* Quæ ut tanto rectius intelligamus, audiamus iterum, primùm, quid nostri adversarii ex his verbis extrudere conentur: Deinde verò consideremus, quid re ipsa Ioannes dicere voluerit. Quod ad prius attinet, fatentur unâ nobiscum adversarii, Encomia Christi hîc recenseri. ea verò non ad munus Christi referunt, sed dicunt, in his verbis Christo tribui eam præstantiam, quòd sit creator omnium rerum, ex quo deinde concludunt, eum esse Deum illum unum & summium, cùm nemo creator sit omnium rerum, nisi unus Deus. Argumentum autem hoc suum ita ex Augustino ornant, quòd nihil sit tertium præter creatorem & creaturam. Itaque, quia Christus non est creatura, (nam si creatura esset, non essent omnia per eum creata,) ajunt eum esse creatorem. Ad hoc autem argumentum respondentes dicimus, Tot in eo esse fallacias & errores, quot verba. Primùm enim necesse est in argumento adversariorum vocem *omnia*, universaliter accipi, alioquin nulla erit ejus vis & efficacia. Quod tamen tam est difficile probare, quàm quod difficillimum. Certum est enim ex perpetuo tenore sacrarum literarum, vocem hanc *omnia*, plarumque (ne dicamus semper) referendam esse ad materiam, quam vocant, subjectam, & proinde

Vox Omnia, in  
S. literis genera-  
tim plarumque  
accipitur,

proinde non universaliter, sed generaliter esse accipiendam. Exemplis multis afferendis, ut potè in re manifesta, superfedemus. Vnum atque alterum annotasse, homini prudenti & probo sufficiet. Vide 2. Cor. 5. 17. Ioh. 4. 25. 1. Ioh. 2. 20.

Exceptio duplex  
adversari orum.

Conantur quidem adversarii afferre quædam, quibus doceant, hoc saltem in loco vocem hanc *omnia*, universaliter esse accipiendam. Vnum est, quòd dicunt, Materiam subiectam hoc docere, vel ipsa potiùs verba, & eorum circumstantias. Materiam autem subiectam hoc in loco ajunt esse creationem. Itaque quemadmodum alibi, nimirum 2. Cor. 5. ubi dicitur, *omnia sunt facta nova*, manifestum esse dicunt, quòd sermo sit de iis, quæ nova fieri possunt, & in quæ cadit innovatio. Ioh. 4. & 1. Ioh. 2. ubi dicitur in priori loco, Iesum omnia annunciatum, in posteriori Christianos omnia scire; de iis omnibus sermonem esse, quæ annunciari opus erat, & possunt, itemque quæ sciri possunt, & in quæ cadit scientia: sic etiam hoc in loco ipsam rem, de qua sermo est, nempe creationem, manifestè ostendere, de iis omnibus vocem hanc *omnia* intelligendam esse, in quæ creatio cadit, & de quibus ea prædicari potest, & ita per consequens, ad cælum & terram etiam pertinere. Ad hoc verò quid respondendum sit, patebit ex secunda, quam paulò post subiciemus, ad argumentum hoc responsione. Nunc alterum au-

Exceptio 2.

diamus, quo ostendere conantur, hoc in loco vocem *omnia* universaliter accipiendam esse. Illud autem est, quòd dicunt, propterea addi ea verba, & sine ipso factum est nihil, quod factum est, ut scilicet appareat, nihil eorum omnium excipi, quæcunque sunt. Sed ad hanc alteram objectionem nihil aliud responderi debet, quàm quòd apertissimè in ea petatur principium, cum scilicet ad alia etiam extenditur, ad quæ verba priùs posita, *omnia per eum facta sunt*, accommodari non possunt. Nihil enim aliud dicere vult Ioannes, quàm, ita verum esse, quòd omnia, de quibus loquitur, per Christum facta sint, ut ne unum quidem eorum, quæ facta sunt, absque illo factum sit, ut scilicet insignem aliquam Christo ea in re tribueret præstantiam & dignitatem. Quæ qualis & quanta sit, paulò post explicabimus. Nunc unum tantum adducemus locum, ex quo appareat, hujusmodi verba latiùs non patere, nec plura comprehendere, quàm ea, quæ priùs ante ea posita sunt. Is autem est apud eundem Ioannem infra cap: 18. 20. *Ego semper aperte locutus sum, ego semper docui in synagoga & in templo, ubi omnes Iudei conveniunt, & in occulto locutus sum nihil. Vbi nemo non videt, hæc verba posteriora, non significare aliquid diversum ab eo, quod in prioribus*

Refutatio excep-  
tionis 2.

ribus

ribus dictum fuerat: sed tantum esse priorum quandam explicacionem per antithesin.

Sed etiam si quis concedat, vocem *omnia* hoc in loco universaliter esse accipiendam, non tamen protinus inde sequeretur, quod Augustinum velle diximus, Sermonem non esse factum, & ita esse factorem vel Creatorem. Semper enim in istiusmodi locutionibus, quantumvis universalibus, excipitur is, de quo ipsa universalis enunciatio effertur. Vt si dicam: per Mosen omnes Israelitæ ex Ægypto educti sunt, quis inde concludet, Mosen non fuisse eductum, vel non fuisse unum ex numero eorum, qui educti sunt? vel cum paulò inferius hoc eodem cap: dicitur de Ioanne Baptista, *Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.* Quis hinc non videt, quantumvis dicatur, omnes per Ioannem debuisse credere, tamen non omnes omninò includi, nisi velimus dicere, Ioannem in Christum non credidisse, vel si credidit, per seipsum credidisse, quod longè esset absurdissimum. Quemadmodum igitur certum est, vocem *omnes*, quantumvis universaliter alioqui accipiendam, ipsum Ioannem non comprehendere: sic non minùs certum est, vocem *omnia* ipsum Sermonem non comprehendere, & non minùs hinc Sermonem, quàm ibi Ioannem, excipiendum esse.

Deindè dicimus, propterea etiam nullius argumentum adversariorum esse momenti, quia certum sit, eos ita verba hæc accipere, ac si de Creatione propriè accepta sermo esset, cum tamen verba tantum de Factione (ut sic dicam) loquantur. Fieri autem & Creare differre nemo nescit. Possunt enim ea etiam fieri, quæ jam creata sunt, dum scilicet suo modo alterantur, vel aliquid eis accedit: & tritum est apud ipsos adversarios, acerrimos Trinitatis defensores, vocabulum Creare significare, aliquid ex nihilo, Facere autem, ex præexistente materia aliquid producere, ita ut hoc hominibus etiam, illud verò soli Deo competat. Hinc igitur videre est, quàm infirma sit ista prior probatio, cujus paulò ante mentionem fecimus, quæ adversarii putant se demonstrare posse, hoc in loco vocem *omnia* universaliter accipiendam esse, quia scilicet hinc de Creatione sermo sit,

Sed tandem, quod argumentationis istius infirmitatem unicuique ostendere potest, est, quòd hinc Christi mentio fiat, non tanquam Creatoris, vel primæ causæ efficientis, sed tanquam causæ instrumentalis. Non enim dicit D. Iohannes, *sermonem omnia fecisse, sed per sermonem omnia facta esse.* Hinc non habent; quod oppo-

Regula de locutionibus: universalibus.

Differunt, Fieri & Creari.

Differunt, Creatorem esse, & per aliquem aliquid fieri.

nant adversarii, aliud, quàm quòd de Deo Patre, qui omnium consensu unus Deus est, dicatur etiam, *per eum omnia esse*: & tamen inde concludi non possit, eum esse causam secundam instrumentalem. Sed ad hanc objectionem in promptu est solutio. Nimirum non necesse esse, ut, quod de Deo Patre etiam dicitur, *per eum esse omnia*, eodem sensu de eo, quo de filio, dicatur. Nihil enim obstat, quominus unus idemque loquendi modus competat duobus diverso respectu. Cum igitur de Deo Patre dicitur, *per eum esse omnia*, nemo est, qui cogitare possit, hoc de eo dici tamquam de causa secunda efficiente, nisi simul cogitet, alium esse Deum Patre superiorem, qui per eum agat, & cuius respectu Pater secunda causa sit. Hoc enim cogitare, est religionem omnem pessundare: At cum de Iesu Christo dicitur, *per eum esse omnia*, obvium admodum est, cogitare, alium esse eo superiorem & majorem, qui per eum omnia fecerit; & hoc cogitare, est religionis Christianæ mysterium pandere omnium divinissimum. Certum enim est, Patrem filio esse majorem; certum etiam est, sacras literas aperte testari, Deum, nempe Patrem, omnia creasse per Iesum Christum. quod quia de veteri creatione intelligi nequit, cum nulla causa media instrumentalis in ea detur, necessariò de nova creatione intelligendum est.

Quod si quis instet, & quærat, quo sensu de Deo Patre dicatur, *per eum esse omnia*; dicimus, idèd hoc fieri, ut appareat, Deum non tantum esse primum omnium rerum motorem, verum etiam ipsorum instrumentorum & causarum secundarum autorem, & cum posse absque illis causis secundis omnia perficere, nec ullâ ratione earum operâ indigere: quemadmodum etiam quædam sunt divina opera, in quibus, causis secundis efficientibus vel instrumentalibus Deum usum fuisse vel uti, vix aliquis probare possit. Quale esse dici potest, Christi exaltatio, & ad divinum honorem, quem nunc habet, erectio. Quòd verò nihilominus Deus plarumque causis mediis utitur, id non sit idèd, quia aliter fieri non possit, sed quia Deus, pro sua summa sapientia ita consultum fore illis, quorum causâ ea facit, prospicit. Atque ita satis dictum esse videtur, unde argumentum adversariorum funditus eversum esse appareat.

Nunc igitur tempus est, ut consideremus, quid D. Ioannes ipsa dicere voluerit, cum dicit, *per Iesum Christum omnia esse facta, & sine eo nihil esse factum, quod factum est*. Nos igitur statuimus & affirmamus, hanc in his verbis contineri Christi dignitatem & præstantiam, quòd omnia, quæcunque quocunque modo ad Evangelium Iesu

Diverso modo  
dicitur de Deo  
& Christo, per e-  
um esse omnia.

Ioan: 14, 28.

Ephes. 3. 9.

Cur de Deo di-  
catur, Per eum  
omnia.

um Iesu Christi, & ad negotium salutis & religionis sub Novo Fœdere pertinent, facta sint per eum. Quia scilicet primus & solus ea facere cœpit. Nemo ante eum conscius eorum fuit, quæ ipse mundo annunciavit, nedum homo, sed neque ipsi angeli. Gratia enim Dei, quæ nobis data erat in Iesu Christo ante tempora secularia, nunc revelata est per apparitionem servatoris nostri Iesu Christi; & visum esse Deum ab angelis, inter mysteria Christianæ religionis numeratur, quod non nisi de volūtate Dei in Evāgello revelata intelligi posse, omnibus constat. In hac annunciatione socium vel coadjutorem neminem habuit. Solus Iesus Christus ad homines missus fuit; ex solius Iesu Christi ore omnes hausere cognitionem eorum, quæ nunc de Deo nota sunt, mysteriorum. Eius arbitrio permissum fuit, eligere postea alios, qui aliquo modo aditum sibi apud homines, ad quos venturus erat, pararent: hi ab eo edocti, id docuerunt, quod in commissis a Christo habebant. Primus & solus Iesus Christus Evangelii confirmationes tales & tantas exhibuit, quales vix sperare aliquis potuisset. Plurima enim, eaque planè insolita miracula per eum facta sunt, quibus omnibus fidem fecit doctrinæ suæ cœlestis. Hæc autem omnia & singula ad Evangelium pertinere, & ad negotium salutis & religionis, neminem credo esse, qui dubitet: Imò hæc ipsum sunt Evangelium.

Audio ista omnia, dicit aliquis: quid verò est, quod Ioannes addit, *Et sine ipso factum est nihil, quod factum est?* Hoc ideo nos additum esse putamus, ut ista Christi præstantia, quæ in illis verbis, *omnia per ipsum facta sunt*, latet quodammodo, per hæc apertissimè explicetur. Possent enim dici, quemadmodum per Christum omnia, quæ ad Evangelium pertinent, facta sunt: sic omnia, quæ ad Legem pertinebant, per Mosem facta esse, & sic hac in re nihil præstare Iesum Christum Mose. Docet igitur Ioannes, præter id, quod præstat Evangelium Legi, & propterea præstantior est Christus Evangelii Mediator, Mose Mediatore Legis (id quod deinceps v: 4. faciet) ex eo etiam apparere Christi præstantiam, quâ omnes alios superet, quod non tantùm primus & solus plurima fecerit, quæ ad Evangelium pertinent, dum in terris mortalis degeret, verùm etiam, quod post ipsam mortem & resurrectionem suam, cùm jam videbantur alii præter Christum, nempè Apostoli & Prophetæ novi fœderis, multa facere, quæ ad Evangelium pertinentia a Christo facta non fuerant, ipse tamen Christus non quiescit: sed, licet alii multa facerent, quæ Christus propriè non fecerat, nec faciebat, ista tamen omnia non sint facta absque illius au-

Quæ sint ista omnia, quæ per Christum facta sunt.

2. Tim: 1. 9, 10.

1. Tim: 3. 16.

Quis sensus istarum verborum: Et sine ipso factum est ne unum quod factum est.

xilio, autoritate & voluntate; quinimò omnia, quæ facta sunt, ad Evangelium pertinentia, per quosvis homines, ea omnia Christo cooperatè facta sint, ita ut etiã huc peregre pertineat illud Ioan: 15. *sine me nihil potestis facere;* & illud etiam, quòd D. Paulus, cum de pace, quæ gentibus per se erat annunciata, locuturus esset, ait, Christum venisse annunciatum pacem, Eph: 2. 17. *Quis verò omnium, qui ante Christum fuerant, post mortem suam aliquid fecisse dicitur?* Quæcunque Iosue fecit, pertinentia ad liberationem populi Israëliti, & ad ipsam Legem, ea omnia fecit absque Mose; & quæcunque alii post Mosen Pròpheta in Lege vel explicanda, vel commendanda fecere, ea omnia absque Mose facta sunt. Ea verò, quæ non propriè per Iesum Christum facta sunt, nec tamen sine illo, potissima sunt, Vocatio gentium, Abrogatio Legis ceremonialis, Miracula & dona varia in ecclesia primitiva edita & distributa. Certum enim est, gentes prius non esse universè vocatas, quàm per D. Paulum. unde ipsemet de se testatur non uno in loco, se esse Apostolum gentium; nec prius poterant admitti gentes, quàm Iudæis esset satis abundè annunciata Evangelica veritas. Sic enim promissa divina exigebant. Lex verò Ceremonialis prius non fuit abrogata, quàm cum gentes vocarentur. Miracula etiam & dona varia inter credentes non extitere, quàm Iesus Christus in cælum ascendisset, & Spiritum sanctum dandi potestatem consecutus esset. Nondum enim erat Spiritus S. quia Iesus nondum erat glorificatus.

Quod si quis interroget, quare gentes vocatæ non fuerint, nec Lex ceremonialis abrogata, nec miracula & dona spiritualia data, priusquam Christus in cælum ascenderet; is sciat, Deum omnia facere prudentissimè, & saluti hominum & commòdò semper unicè studere. Promiserat Deus apertè solis Iudæis Servatorem Christum. Si igitur Christus statim, posteaquam cæpit docere Iudæos, docuisset etiam extraneos, præterquam quòd unus tot nationibus sufficere vix potuisset, plus detrimenti apud gentem Israëliticam hæc res attulisset, quàm emolumentum. Dubitare enim Iudæi (quæ ipsorum erat & improbitas & ignorantia) potuissent, an hic verè esset promissus Messias nec ne, qui parem Ethnicorum & Iudæorum curam gereret, cum tamen solis Iudæis esset promissus. Ided dicit Apostolus, *Christum fuisse servum Circumcisionis, propter veritatem Dei, ut confirmaret promissiones patrum,* & ipse Christus ait, *se non esse missum nisi ad oves perditas Israël.* Quod ad Legis ceremonialis abrogationem attinet, cavet etiam Deus, ne innovatio

Quæ sint ea, quæ,  
licet non per  
Christum, tamen  
non sine ipso facta  
sunt.

Ioan: 7. 39.

Cur gentes per  
Apostolos demum  
vocatæ.

Rom: 15. 8.

Matth: 15. 24.  
Cur lex ceremonialis per Apo-

innovatio tanta, si inopinatò accidisset Iudæis, a Iesu Christo eos deterreret. Nimis enim crebrò Deus hoc inculcârat, Legem suam duraturam in æternum. Prætereà apertè monuerat Deus Israëlitas, si surgeret in medio ipsorum propheta, qui eos ad Deos alienos esset abducturus, ne eum reciperent: tentare enim eos Deum, an se colant ex toto corde. Iam verò, si Iesus Christus statim in initio muneris sui Prophetici cœpisset docere, Legem esse abrogandam, quamvis jure dici non potuisset, eum homines a Deo abducere: occasionem tamen homines & parùm probi & parùm prudentes habuissent aliquid tale de eo suspicandi, & priusquam didicissent causam istius tam novæ rei, omnia fuissent frustra a Christo facta & annunciata, quæcunque fecit & annunciavit; cum videamus, quàm graviter eos postea hoc offenderit, & nuñc etiam offendat, cum tamen causæ sint multò graviore, quæ istam rem excusare & defendere possunt, quàm antea esse poterant. Noluit igitur Deus obruere miseros homines ab initio, rei hujus tanta novitate, dum adhuc esset Iesus Christus in numero prophetarum: sed pro sua singulari prudentia reservavit hoc in illud tempus, cum jam Rex populi Dei Iesus evasisset & multa evidentia ejus rei extarent inter Iudæos testimonia & documenta. Tunc enim faciliùs hoc intelligi poterat, Regi novo licuisse, imò Regem novum decuisse, populum suum novum regere, non ex Lege antiqua, sed nova. Novus erat Rex, nova promissa; necessariò igitur requirebantur nova statuta & jura Regia. Prætereà si quid fiat absque necessitate aliqua urgente, mirum est, quàm graviter id homines offendat: si verò occasio aliqua sit vel necessitas, quæ, ut aliquid fiat, quasi exigit, fit sæpè, ut sponte suâ ad exitum perducatur id, quod alioquin vix sperabatur finem suum consecuturum. Itaque si tunc, cum nondum erat causa, cur Lex tolleretur, sublata ea fuisset, absque gravi offensione nullo modo fieri id potuisset: Cum verò gentes essent ad Evangelium & regnum Iesu Christi admittendæ, admitti autem possent salvâ conscientia absque Legis ceremonialis observatione, (hæc enim omnia in Iesu Christo nihil valent) ipsa res quodammodo suadebat & dictabat, tollendum esse istum medium parietem, qui gentes à Iudæis separabat & distinguebat, ut ita omnes in unum Christi cœtum tantò faciliùs congregari possent. Noluisent enim proculdubio gentes tantum onus subire, quantum est Legis ceremonialis observatio, si didicissent ex doctrina Apostolica, ea omnia nullum ad salutem consequendam afferre emolumentum. Noluisent etiam procul-

Ab eos demum abrogata.

Deut: 10. 16

dubio Iudæi, firma stante lege, aliquem extraneum ad se recipere, nisi prius omnia, quæ Lex exigebat, facere paratus fuisset. Confuluit igitur rebus Deus omnipotens, dum Iesu Christo potestatem concessit Legem illam abolendi, & omnes ad se pariter vocandi.

Cur quædam miracula & dona Spiritus S. tempore Apostolorum demum extiterint.

Quod ad miracula & dona attinet, quæ existere post Christi resurrectionem, voluit Deus ea tunc temporis primum existere, partim ut, quemadmodum Christi munus, quod in cælis gerere cœpit, divinius erat futurum eo, quod in terra gesserat: sic etiam ipse Christus diviniorem haberet potestatem tunc, cum Christus perfectè factus est, quàm antea habuerat, cum Rex populi Dei nondum perfectissimè factus esset. Ea autem fuit, potestas largiendi Spiritum sanctum, cuicumque vellet: partim, quia tunc temporis tanta potestate, quæ credentibus daretur, non ita erat opus, ut postea, cum Christus in cælos ascendit. Antea enim homines Christum ipsum videbant & ejus miracula, atque ita facillè erat in eum credere; & ea, quæ credere & facere homines debebant, non adeò superabant eorum vires, ut facere ea nullo modo sine auxilio divino singulari possent: At tunc, cum Christus in cælum fuit exaltatus, difficillimum fuit in ipsum credere, præsertim, quòd constabat, cum morte omnium truculentissima sublatum fuisset, difficillimum etiam erat promissis illius fidem habere, & ea omnia, quæcunque præceperat, facere. Quam ob causam ipse Dominus beatos eos esse prædicat, qui non viderint, scilicet Christum & ejus miracula, & tamen crediderint; & D. Petrus commendat sui temporis Christianos, quòd, licet Christum non viderint, eum tamen ament, licet eum non videant, credant tamen in eum; & omnes in universum credentes, propter suam fidem mirum in modum a Spriritu S. commendantur, quia scilicet difficillimum erat, in Christum crucifixum credere, & omnem suam in eo fiduciam collocare. Itaque voluit Deus, Christum tunc temporis habere potestatem tanta dona largiendi, & tanta miracula per Apostolos edendi, ut infirmitas humana sua haberet adjumenta & adminicula. Sensus igitur horum verborum (ut ad rem redeamus) hæc est: Christum esse, per quem omnia, quæ ad Evangelium & annuntiandum & confirmandum pertinent, facta sint; & licet quædam ad illud implendum ab Apostolis facta sint, ea tamen omnia Christo autore & coadjutore, vel non sine illo facta esse. Vnde summa Christi præstantia merito colligitur. Nemini enim omnium tantum encomium jure tribui potest.

1. Cor. 12. 29.

1. Pet. 1. 8.

Agno.



Agnoscamus igitur tantam Christi præstantiam, & ex re simili similem discamus: Quemadmodum Christo omnia tribuere tenemur, quæcunque ab initio ad Evangelium & annunciandum & confirmandum pertinebant: sic etiam omnia, quæ nunc qualicumque ratione ad Evangelium Iesu Christi docendum, promovendum, commendandum, & confirmandum pertinent, soli Iesu Christo tribuere nos teneri. Iesus Christus est, cui omnia, quæcunque per multa retrò secula circa religionem Christianam facta sunt, ascribi debent. Quicquid diversis temporibus a diversis hominibus ad hanc ecclesiæ ipsius structuram allatum fuit, non sine ipso factum est. Quod hisce labentibus, & nuper elapsis, & parentum nostrorum temporibus factum est, & quotidie fit, Iesu Christi operâ fieri, religiosè statuendum est. Christi operâ patefacta est ex tenebris lux veritatis: Christi operâ extitere homines & animo & eruditione præstantes, qui varia in confessione eorum, qui nunc Christi nomen profitentur, errata digitis quasi demonstrârunt, & homines ab illis revocârunt: Christi operâ tantos in cognitione salutaris veritatis profectus hætenus multi fecerunt: Christi operâ hodiè excolitur ista veritas: Christi operâ conservantur cœtus in mediò hostium ejus: Christi operâ omnes & singuli ea habent, quibus & ad pietatē & ad vitam æternam opus est.

Nugantur igitur omnes, qui Christum curam populi divini deposuisse dicunt, posteaquam in cælos ascendit, & eum nunc quiescere somniant. Nam sine ipso nihil factum est, quod factum est. Imò, si quis rem penitus introspiciat, tunc demùm curam populi divini Christus suscepisse dicendus est, cum ad dextram Dei consedit, & omnem potestatem in cælo & in terra consecutus est. Antea curam gessit suorum, ut alii doctores & Prophetæ ante eum: at ab eo tempore, quo immortalis evasit, curam gerere cœpit, ut Rex & Dominus. Atq; hætenus de secunda illa præstantia & proprietate muneris Christi, quâ omnes alios, qui ante eum fuere, Doctores superat.

Refutatio Iudæi  
Zantium.

## Homilia tertia.

**N**unc igitur ad tertiam veniamus, quæ in his verbis continetur: *In ipso vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* In quibus commendat D. Ioannes Iesum Christum ex eo, quod per Evangelium suum mundo attulit, beneficio. Notanda autem sunt in his verbis

verbis: 1. Quale sit istud beneficium. 2. Quæ sit ejus utilitas. 3. Quibus oblatum sit. 4. Quomodo ab eis receptum.

Qualis vita sit in  
Christo.

Quale sit illud beneficium, quo D. Ioannes Christum tanto-  
pere commendat, & muneris ejus præstantiam demonstrat, his  
verbis innuitur: *In ipso vita erat.* Vbi duo sunt iterum consideran-  
da: 1. Qualisnam sit ista vita, de qua hic sermo est. 2. Cur dicatur  
esse in Christo Iesu, Sermone illo. *Vita*, de qua hic sermo est, non  
est vita hæc temporaria & caduca, ut hodiè omnes ferè Theologi  
sentiunt, qui, cum semel statuissent, Ioannem hic describere divi-  
nitatem aliquam Iesu Christi naturalem & omni principio caren-  
tem, quæ unius Dei propria est, non potuerunt aliter etiam de vita  
hac statuere, quàm quòd ea sit, quæ a Deo omnibus rebus creatis  
indita est. Sic enim, errore uno admisso, plurimos alios admittere,  
neesse quodammodo est. Quoniam verò ista eorum sententia de  
vita hac, nullo alio nititur fundamento, quàm eo, quòd persuasum  
sibi habeant, a Ioanne Christum tanquam creatorem omnium re-  
rum describi: suprâ autem abundè demonstratum sit, id longè a ve-  
ritate abesse; totum hoc etiam corruat neesse est, quod super il-  
lud fundamentum struitur. Dolendum tantùm est, homines alio-  
quin perspicaces, & multiplici doctrina præditos, eò cæcitatibus &  
stupiditatis prolapsos esse, ut non possint, cum Evangelium Iesu  
Christi legunt, mentes suas attollere, & aliquid sublimius cogita-  
re, quàm cogitant. Vbi de vita esset cogitandum divina, & cælesti,  
illi de vita animali & terrestri, quæ tam brutis quàm hominibus  
communis est, cogitant, & ita humi serpunt, ubi ad ipsum cælum  
esset evolandum. Quemadmodum vicissim, ubi humi esset serpen-  
dum, & simpliciter aliquid, quod de Iesu Christo docetur, recipi-  
endum, & constanter tenendum, illi ad supera evolant, & ea inve-  
stigare volunt, quæ vera nec sunt, nec esse possunt. Repudi-  
atâ igitur istâ hominum, quibus veritas est adempta, opinione,  
quam super hæc D. Ioannis verba commentî sunt, & dolentes eo-  
rum ignorantiam, & meliorem eis a Deo mentem precantes, te-  
neamus, hoc in loco per vitam, simpliciter ita prolatam, intelligi  
debere vitam illam æternam & cælestem. Hoc ita se habere, docet  
primùm materia subjecta Evangelii, & Evangelii hujus subjectû Ie-  
sus Christus. Nova enim sunt omnia, quæ Evangelium cõtinet. In Chri-  
sto omnia vetera transferunt, Nova igitur ut sit hæc vita, neesse est.  
Iesus verò Christus nemo est alius, quàm homo ille, què ex Spiritu  
sancto concepit virgo Maria. Huic autem minimè competit, quòd  
in eo sit vita illa temporaria & animalis. cum certum sit eam ex-  
stitisse,

Cur Ioannis ver-  
ba de vita æter-  
na sint accipi-  
enda.

titisse, & datam a Deo fuisse priusquam ille existeret. Deinde idem etiam docet locus D. Ioannis, qui sui ipsius optimus interpretis censendus est. Is autem sic ait: *Hoc est testimonium, quod vitam æternam dedit nobis Deus; & hæc vita in filio eius est.* Audisne vitam æternam esse, quam Deus nobis dedit, & eam esse in eius filio. Appellatur autem vita æterna simpliciter *Vita κατ' ἑξοχὴν*. Quia æterna demum vita, vera vita est; temporaria vita, veræ vitæ umbra tantum est. Quam ob causam etiam Christus de seipso dixit: *ego sum Vita.* Quemadmodum etiam propter eundem loquendi modum, ea, quæ in Evangelio revelatur, divina voluntas, *Veritas*, & similibus locutionibus appellatur. Atq; hæc de eo sufficiant, qualis sit vita, de qua hîc sermo est.

Cur verò dicat Ioannes, vitam hanc, scilicet æternam, in Christo fuisse vel esse, duplex potissimum causa est: 1. Quia Christus primus eam annuntiavit & revelavit, & ita in doctrina illius tantum bonum continetur. 2. Quia Christus ipse eam reipsâ daturus est; et ita *in Christo esse* summo jure dicitur.

Ad hoc verò respondent illi, quibuscum nobis res est, & dicunt, falsum esse, quod a nobis affirmatur, vitam æternam per Iesum Christum annunciatam & promissam primum fuisse: & fortassis hæc causa est, cur hæc verba de vita æterna intelligere nolint, quia scilicet credant, eam antea etiam fuisse revelatam. Sed dicant, quid & quantum velint, nunquam hac præstantia Christum & munus ejus privabunt, quâ Deus eum & illud exornatum esse voluit. Nec nos ulla ratione concedere possumus, ut Christo is honor adimatur. Nimis enim manifesta sunt, eaq; non pauca sacramentorum literarum novi fœderis loca, in quibus affirmatur, Iesum Christum abolevisse mortem, & illuminasse vitam & immortalitatem per Evangelium; novum fœdus in melioribus promissis sancitum esse. quam ob causam etiam hæc periphrasi Evangelium describitur, quod sit Introductio, vel potius Superintroductio spei melioris; & beati dicuntur fuisse oculi Apostolorum, & aures eorum, qui viderint & audiverint ea, quæ Dominus Iesus docuit, & revelavit: Multos enim Prophetas, justos, Reges cupivisse videre ea, quæ ipsi videbant, & tamen non vidisse; & audire ea, quæ ipsi tunc audiebant, nec tamen audivisse: & ipse Christus seipsum Resurrectionem & Vitam propter hanc ipsam causam appellat.

Nec quicquam obstat, quominus hoc, quod dicimus, verum sit, quod Adversarii solent objicere, hæc ratione omnes, qui ab Adamo usq; ad Christi tempora fuere, vitam æternam privatam iri; & quod fieri non potuerit, ut homines Deo tam chari vitæ æternæ

1. Ioan. 1. 12.

Ioan. 14. 6.

Cur vita æterna  
sit in Christo.Ante Christum  
non fuit promissa  
vita æterna.

2. Tim. 1. 10.

Heb. 8. 6.

Heb. 7. 19.

Luc. 10. 23.

Ioan. 11. 25.

Obiectio.

cognitione carerent; & quòd Deo nunquam ita serviissent, ut servierunt, si nullam æternæ vitæ cognitionem habuissent; quòd deniq; potuerint ex exemplis illorum, quos Deus vivos ad cælum transfulerat, colligere, vitam æternam dandam esse omnibus, qui Deo confiderent. Quod enim ad primum attinet, non sequitur ex eo, quòd alicui vita æterna non est revelata vel promissa, eum vitæ illius participem esse non posse. Non posset quidem Deus salvâ suâ justiciâ & veritate non dare vitam æternam illis, quibus eam promissit: sed potest idem Deus salvâ suâ justiciâ & veritate dare eandem omnibus, quicunq; eâ digni sunt, vel quos Deus eâ dignos censet, etiamsi eam illis non promiserit. Imò quemadmodum ex eo insignis apparet Dei justiciâ & misericordiâ, quòd hominibus præter ipsorum meritum eam promissit: sic multò major misericordiâ ex eo apparet, quòd eam illis, quibus non promiserat, daturus est. Non promiserat Deus apertè Messiam gentibus extraneis: erant enim gentes absq; promissione & spe: & tamen eum illis dedit, & in hoc ipso summam suam declaravit & misericordiam & potentiam. Statuendum igitur est, Deum omnibus, quicunq; sub veteri Testamento sibi confisi sunt, daturum vitam æternam. Nam alioquin (ut Christi argumento utamur) Deus se Deum illorum post mortem non appellasset. Hoc autem totum non ex ullo promisso, aut pacto pendet, sed ex sola & mera Dei benignitate.

Quòd verò Deus homines sibi charissimos id celaverit, id nos tantò magis debet afficere, quibus Deus præ illis hoc revelavit. Nemini enim Deus quicquam debet. Et habuit suos Deus prudentissimus causas, quare noluerit prima ista mundi & consequentia etiam secula cognitionem hujus rei habere. ut scilicet manifestissimè appareret, Immortalem vitam non esse nobis naturaliter inditam, sed nos longissimè ab ea abesse, & solo Dei beneficio fieri, si quis ejus spem certam habeat.

Qui Deo servierunt, vel idèò hoc fecerunt, quòd pœnas divinas exhorrescebant, & spe bonorum temporalium, quæ Deus abundè in veteri testamento promiserat, rapiebantur. Non caret enim sua virtute, metus pœnarum tam gravium & horrendarum, quales Lex proponit, & spes bonorum temporalium certissimas, vel etiam, quia sperabant, Deum eis in futura vita laborem istum compensaturum. Potest enim aliquis sperare id, quod promissum ei non est, si sit optabile & desiderabile, & voluntati Dei revelatæ non contrarium, quale est vita æterna. Hac enim nihil optabilius, nihil desiderabilius, & divinis promissis convenientius. Quæ in spe poterat eos præterea juvare consideratio divinæ justiciæ, quòd

Responsio.

Potest dari vita æterna etiamsi promissa non sit.

Ephes: 2. 12.  
Gentes absque promissione consecuti sunt Messiam.

Cur Deus non omnibus vitam æternam promiserit.

Cur homines in V. T. Deo servierint.

Spes datur absq; promissis.

Causa spei extra promissum.

quòd scilicet, quia sæpè accidebat, ut ii, qui Deo confidebant, nullis in hoc mundo commodis fruerentur, justum proinde esse credere poterant, ut Deus, quia commoda negasset temporalia, æternis ea compensaret. Poterant denique etiam eos juvare exempla eorum, qui vivi in cœlum translati erant. Sed tamen totum hoc nihil est, si absit promissum, quod solum spem facit certam. Quæ de re vide in analysi nostra supra locum I. Cor. 13. v. ultimo: & præterea, totum hoc nihil ad rem pertinet. Non enim quæstio est, an homines vel multi, vel aliqui, sub vetere sædere spem haberint vitæ æternæ, vel num ex certis quibusdam conjecturis colligere potuerint, eam dari posse, vel etiam dandam esse illis, qui Deo confidunt: sed an Deus hoc ipsis in universum vel generaliter in Lege vel alibi promiserit, hoc demum in quæstione est. Non esse autem promissam vitam æternam in Lege, fatentur etiam omnes saniores Iudæi. Iraque non est opus, ut loca quædam examinemus, quibus adversarii abutuntur, ad demonstrandum, vitam æternam in veteri sædere promissam fuisse.

Consolemur nos & alios, qui nobiscum participes facti sunt Evangelii, quòd spes nostra sit, non terra Chanaan, non bona terrena, sed res omnium desiderabilissima, Vita, eaque æterna. Omnia commoda nulla sunt, ubi aut Mors est, aut Mortis metus: ubi vita æterna est, vel spes certa illius vitæ, ibi omnia sunt bona & omnia optima. Beatos nos prædicemus & omnes alios, quòd ad hæc tempora reservati simus, quibus Deus tantam voluntatis suæ divinæ lucem accendere iterum dignatus est.

Consolatio.

Agnoscamus etiam & adoremus Christi præstantiam in eo, quòd per eum summum bonum vita æterna hominibus & annuntiata est, & danda; & dum hoc utrumque de eo confitemur, sciamus & statuamus, nos summo eum honore afficere, & debitam ei reverentiam tribuere. Priori præstat omnibus aliis doctoribus; posteriori Deo etiam similis est. Quis enim potest dare vitam æternam, nisi solus Deus? Deum igitur esse, vel proximum a Deo, Deoque valdè similem oportet, qui tantam rem donare alicui possit. Et hæc de I. membro hujus tertiæ partis, qua describitur Christi muneris præstantia.

Adhortatio.

Quæ verò hujus beneficii utilitas sit, innuitur his verbis: *illa vita erat lux hominum.* Exprimitur autem utilitas ista (ut hoc primùm dicamus) per vocabulum Metaphoricum *Lucis.* Quæ Metaphora multò vividius id, quod Apostolus dicere voluit, explicat, quàm si aliis verbis propriis usus fuisset. Lucem autem appellavit, quòd, quemadmodum is, qui in tenebris versatur, sive quia

Cur vita æterna  
lux sit hominum.

Erroris indicium  
evidens.

tem id repetamus & refutemus, considerandum est, inter alia, quæ erroris indicia sunt, hoc non esse postremum, quòd in quibusdam speciosè apparet, & defendi suo modo a pertinacibus potest, & aliis etiam persuaderi; deindè verò ita claudicat, ut unusquisq; , cui cordi est veritas & salus, facillimè deprehendere possit, id, quod pro ipsissima veritate venditabatur, totum tanquam erroneum repudiandum esse. Hoc totum in proposito loco videre licet. Hactenus videbantur isti Trinitatis & fictitiæ illius Christi divinitatis, quam ab æterno habuerit, defensores, ei, qui rerum divinarum est imperitus, & ex alieno iudicio pendere cogitur, benè se gessisse, dum docere conati sunt, Christum jam tum extitisse, cùm omnia creati inciperent, fuisse apud Deum, fuisse Deum, scilicet summum illum, qui pater est; per eum esse creata omnia, & eum omnibus dedisse vitam tanquam creatorem. Videtur enim aliquid in verbis inesse, quod suadere possit istam eorum sententiam (quanquam nihil verè in illis inesse, satis a nobis demonstratum esse credimus): hinc verò, ubi explicandum illis est, quid sit, quòd vita illa fuerit Lux hominum, mirum est, quàm turpiter suam prodant ignorantiam, & indignas sua eruditione afferant explicationes. Sic enim ajunt: vita erat lux hominum, hoc est, erat vis illa rationis & intelligentiæ in hominum animis accensa ad ipsum tanti boni autorem agnoscendum; vel, ut alii volunt, vita illa, hoc est, Sermo vivificans, ab effectu Lux vocatur, quòd hominem rationis luce donarit. Et hæc quidem de statu hominis ante lapsum intelligi volunt; ita ut prorsus eos hallucinari T. Beza dicat, qui putant, hinc non agi de naturali humanæ rationis luce, qualis ante lapsum fuit. *Ipsa enim, ait orationis series demonstrat, Evangelistam sensim a creationis statu, ad tenebras, id est, ejus lucis amissionem, ac deinceps ad ejus luminis instauracionem, nempe Sermonis illius ἐνοσίχθωνι progressi.* Ad quæ respondemus, plura esse in hac explicatione errata, quàm verba. De aliis aliàs dictum a nobis est, & infra dicitur, Nunc ea videamus, quæ ad hæc verba, quæ præ manibus habemus, propriè spectant. Quod igitur attinet ad priorem explicationem, quis non videt, quàm duriter hæc cohæreant cum præcedētibus, in quibus dicitur, in Christo fuisse vitam, nempe, ex mente adversariorum, naturalem & animalem. Quomodo enim vita animalis & naturalis est vis rationis & intelligentiæ, cùm æquè vitam illam habeant reliqua animantia, ut homines? Nullo certè modo, qui tolerabilis sit, dici potest, vitam animalem esse vim rationis in homine. Non enim ex eo, quòd homo vitam habet, habet etiam rationem: sed & vitam, & deindè rationem habet ab ipso Deo creatore, quæ ratio non a vita

Explicationes  
adversariorum 2.

Refutatio prioris.

pendet,

pendet, sed a spiritu, quem Deus nobiliorem esse in homine voluit, quàm in reliquis animantibus. Voluit juvare hanc explicationem Beza, additione ad vocem Lucis articulo illa: sed frustra fuit. Ita enim loquitur, ac si certum esset, istam Lucem hominum, *κατ' ἐφοχὴν* sic appellatam, esse vim illam rationis humanæ: cum tamen aliquid dari possit, cui multò rectiùs competat istud encomium, quòd sit Lux illa hominum, quàm vis rationis, quod quid sit, supra explicavimus. Præterea verba hæc, Lux hominum, per summam vim ita detorquentur, ac si significant eam rem, quæ est hominum, & quam illi possident: cum tamen Lux hominum sit illud, quod extra homines est, & tantùm ad eos suo modo pertinet. Quemadmodum cum Christus dicitur, Lux mundi, non eo sensu ita appellatur, quasi sit Lux talis, quàm mundus habet & possidet, sed talis, quæ extra homines est, & à Deo illis offertur, & ad eos illuminandos pertinet.

Quod ad alteram explicationem attinet, quam idem Beza auctori veterum auctoritate, & optimè cohærere cum iis, quæ proximè subjiciuntur, ea talis est, ut meritò, nescio quorum veterum auctoritate, niti dici possit. Nam veteres illi plerumque tales fuerunt, qui, cum penes eos esset imperium in ecclesia Christi, omnia ad suum nutum traxere: qui verò contrà vel mutare auderet, aut nemo erat, aut si fortasse fuit, non tam ratione vel sacræ literis, quàm gladio & vi externa reprimebatur & opprimebatur. Primum enim, nonnè manifestum est, Iohannem dicere, vitam eam, quæ in Sermone Christo erat, fuisse Lucem hominum? At isti veteres dicunt, sermonem ipsum, qui est Christus, Lucem appellari a Iohanne. Differre autem vitam, quæ in sermone erat, ab ipso sermone, tanquam subjectum & adjunctum, nemo non videt; cum certum sit, vitam ab ipsis considerari, non quatenus in sermone fuit, sed quatenus ea, quæ in sermone fuit, nobis data est. Deinde quam ratione probant, Lucem hominum, significare munus rationis, vel ipsam Lucem significare Rationem. Circumstantiæ rerum, & subiecta materia diversum docent. De Evangelio enim, & de Iesu Christo sermo est, nisi igitur aliundè probetur, hoc ita accipi debere, vel saltem posse, nihil hoc aliud est, quàm veterum auctoritas. Quomodo verò hæc explicatio cum proximè sequentibus cohæreat, is tantùm videt, cui persuasum est, per vitam simpliciter significari vitam animale, & per Lucem hominum, significari vim rationis, eamque talem, qualis ante lapsum fuit, idque non necessariò. Qui verò per vitam simpliciter positam, significari credit vitam illam æternam, & illam vitam æternam hominum mentes illustrasse, is difficulter adduci potest, ut credat, eo modo

ista co-

Refutatio explicat  
tionis 2.

ista coherere, quem illi ostendunt. Cohærent autem optime, quæ sequuntur, cum ea, quam nos attulimus, explicatione & divinissima & verissima, nempe quòd tantum Dei beneficium, quod hominum mentes illustrare potuerit, & ex parte Dei illustrârit, inciderit in secula corrupta & homines perversos, qui tantum beneficium capere & intelligere non potuerint, vel potius noluerint, de quo deinceps plura.

Adhortatio,

Consolatio,

Videtis igitur, Charissimi in Domino, quàm non sit tutum pendere in rebus divinis ab autoritate ulla humana, quæ aliquid, quod sacris literis consentaneum non sit, statuat. Videtis, quàm graviter maximi etiam alioquin viri labi potuerint, dum suæ secuti sunt mentis commenta. Gratias igitur agamus omnes & singuli Deo nostro, qui nos ex tantis errorum tenebris eripere dignatus sit, & in regnum filii sui dilecti transtulerit. Sciamus hanc esse utilitatem, quam ex Evangelio habemus, quòd ex densissimis tenebris, in quibus mentes nostræ absque revelatione Evangelica perpetuò caligassent, per Christi vocem simus liberati, & verè illustrati & illustrissimi a Deo effecti; dum spes nobis in mentibus nostris facta est, eaque certissima vitæ æternæ. Verè is mentem habet generosam, & a Deo illustratam, cui sapit immortalitas. Non homo, sed pecus ille est, & porcus, qui nondum immortalitatem degustavit, aut degustare noluit. Et inter alia, quæ Deus in nostras ecclesias contulit, singularissima beneficia, hoc non est ultimum, quòd istius immortalitatis & vitæ æternæ quasi gustum in mentibus nostris excitavit, & dulcedinem ejus ita illis instillavit, ut, si verè sapere mus, hoc ipso animos nostros exatiare possimus, obliti omnium, quæ hic mundus habet, bonorum, voluptatum, honorum. Sed jam finis esto hujus secundi membri. Veniamus ad tertium, quod est: Quibus oblaturum sit. Hoc autem innuit D. Iohannes dum ait: *Et illa lux in tenebris lucet.*

Quid sint Tenebræ.

Ephes. 1.

Error adversariorum circa has tenebras.

Per vocem Tenebras intelligendos esse homines, nemo est qui dubitet, eosque tales, qui & ista luce, quæ illis affulserat, indigni erant, & ad eam recipiendam per se admodum inepti. Sunt enim istiusmodi locutiones Metonymicæ, satis vulgares in ipsis novi fœderis literis: *erat is*, inquit Apostolus, *olim tenebræ, nunc autem Lux (estis) in Domino.* Sed quid sit illud, cur homines luce illâ indigni, & ad eam recipiendam inepti sint, in eo magna est inter nos & reliquos Christianos differentia. Illi enim, ut semel errare cœperunt, dum per Lucem vim rationis intelligunt: sic, hic error alium ut pareret, necesse fuit, qui est, quòd per Tenebras intelligunt corruptionem natura hu-



rae humanae & istius Rationis per lapsum Adami, & ob eam affirmant, hominem ad comprehendendum Lucem illam, quam faciunt ipsum creatorem, τὸν λόγον, fuisse ineptum. Miseros certe Theologos, qui rem satis difficilem re planè incertâ, & a seipſis conflictâ explicant. Quid enim putas futurum istâ explicatione, si quis neget, ullam humanæ naturæ accidisse corruptionem per lapsum Adami? nonne planè evanelceret & in fumum abiret? Fictitium verò dogma esse, quod de corruptione naturæ humanæ, quæ per lapsum Adami contigerit, nunc inter Christianos viget, satis superque alibi a nostris demonstratum est, & aliquid de eo habes in nostrâ Catechesi, sub capite, de Libera hominis voluntate. Hoc nunc generaliter dicimus: Nullum vestigium extare istius opinionis in sacris literis. Fate mur nos quidem, homines esse corruptos, & ab illo statu innocentiae, in quo Adamus creatus fuit, alienissimos: hoc verò non lapsui Adami attribuendum est, sed ipsis hominibus, qui sponte sua seipſos depravarunt, & per habitum malè agendi corruerunt. Totum hoc ex eo apparere credimus, si quis consideret, omnem, quæcunque est in hominibus, perversitatem, mentis & morum corruptionem, gravissimè a Deo semper punitam fuisse, puniri, & punitum iri, nec ullam habere coram eo excusationem: Si verò corruptio talis esset mentis & morum humanorum, in qua nulla penes homines culpa sit, excusationem certè apud homines & ipsum Deum, qui summè justus est, mereretur.

Vnde corruptio  
hominum.

Sed demus, esse aliquam vel etiam magnam humanæ naturæ per lapsum Adami introductam corruptionem, quomodo docent Theologi, hoc in loco de ea sermonem esse? Nullo certè, nisi quòd simpliciter rem ita se habere affirmant. Quod fortassis idè eis accidisse putandum est, quia nunquam crediderunt, hoc in dubium vocatum iri, quod tot virorum, quorum autoritas inter Christianos non minima semper fuit, unanimi consensu approbatum est. Quoniam igitur nullo argumento sententia adversariorum confirmata est, nullo etiam labore tutò repudiari potest, & pro merè erronea haberi, quod series rerum hætenus explicatarum unicuique cordato satis evidenter demonstrare potest.

Nos itaque loco illius incertæ adversariorum nostrorum explicationis, hanc afferimus & reponimus, eamque censuræ omnium proborum & doctorum subijcimus, quæ est, Tenebras idè homines appellari, quia & naturaliter (ut & ipse Adamus) nullam istius rei, quæ in Evangelio continetur, nempe immortalitatis cognitio-

nem habent, & suâ ipsorum culpâ sese ad eam, cum revelabatur, intelligendam & amplectendam ineptos reddiderant. Ignorantiam enim tenebras appellari, ut Cognitionem Lucem, nemo inficias ibit. Atque ita his verbis D. Ioannes exprimit, quòd Res omnium sanctissima & purissima, nempè Beneficium immortalitatis oblatum a Deo sit hominibus eâ indignissimis, tum propter naturam, tum propter actiones eorum.

Adhorratio.

Miremur itaque Dei bonitatem & sapientiam tantò magis, quantò homines immortalitate sunt indigniores. Hic est mos Dei, quòd semper iis, qui vel minimùm ea de re cogitant, sua offert beneficia, ut tantò maiorem inde gloriam habeat. Contigit etiam nobis inter alios Christianos nuper similis Dei benignitas. Lucet hæc divina & cœlestis veritas in Tenebris, inter homines, qui omnium ineptissimi ad eam esse omnibus aliis & nobis ipsis videntur. Nonnè enim ignobilior & obscurior pars mundi, esse videtur Polonia nostra, quàm aliæ regiones, quæ & antiquitate, & cultura rerum & morum hanc superant? & tamen magna Lux orta est in ea, & nunc tanquam Sol luccet, ita ut multi, qui longissimè ab ea remoti sunt, multò magis mirentur hunc splendorem & Lucem cœlestem, quàm ii, quorum in domibus tanta Lux accensa est, & fortassè magis, quàm multi ex nobis, qui pertæsi esse veritatis divinæ videmur. Agnoscamus itaque nostram hanc felicitatem, agnoscamus etiam nostram infirmitatem & indignitatem; & tantò ardentiores Deo nostro agamus gratias.

Sed nunc ad quartum membrum accedimus, quod est, *Quomodo hoc Dei beneficium ab hominibus receptum sit*, quod Ioannes explicat, dum ait, & *tenebræ eam non comprehenderunt*. Vbi nihil aliud dicemus de eo, quod nostri adversarii super hæc verba commētantur, quàm quòd ipsi, se & opiniones suas quasi prodētes, turpiter pro eo, quod Ioānes affirmat, Tenebras non comprehendisse Lucem illam, hoc est beneficium illud in Evangelio contentum, dicunt, per Lucem intelligi ipsū creatorem, & Tenebras, hoc est homines, quales post Adami lapsum fuere, non comprehendere suum creatorem. Cùm tamen, ut supra docuimus, Ioannes apertè distinguat λόγος Iesum Christum ab ea vita, quæ est Lux hominum, & eam in Christo, non autem Christum eam fuisse affirmet. Præterea verba illa, *non comprehenderunt*, accipiunt ita, ac si Ioannes tantùm rem, quæ facta sit, narret, & ita homines quasi excuset, quòd non receperint Lucem illam cœlestem, & nescio quem accuset: Cùm tamen Ioannes hoc in loco, ut etiam infra alibi, conqueratur de hominum perversitate,

tate, quæ tanta fuerit, ut non comprehederint istam Lucem.

Notandum enim bene est, D. Ioannem, quia nimis magnifica multa de Iesu Christi & persona & munere dixerat, ne quis ea omnia in dubium vocaret propterea, quòd pauci fuerint ab initio Evangelii, qui Christum reciperent, fieri autem non potuisse, ut homines id non agnovissent, si ita res se habuisset, quemadmodum Ioannes affirmabat, accuratè & hinc & paulo infra inculcare, non debere ex effectu, quòd scilicet homines Christum & eius doctrinam ab initio non receperint, colligi, Christum talem non fuisse, qualem eum fuisse Ioannes descripserat, sed alii rei id tribuendum esse, quòd tam pauci fuerint, qui eum reciperent. Ea autem est, Tenebræ, hoc est, Ignorantia & improbitas hominum; quòd Christi Evangelium inciderit in homines ad ea, quæ Dominus Iesus annunciabat, intelligenda & recipienda planè ineptos, & ita verba illa: *Non comprehenderunt*, non tanquam rem narratam accipienda, sed tanquam accusationem Apostolicam, quâ in homines culpam confert, cur Christi Evangelium ab initio locum apud eos non habuerit, & ita explicanda esse, Noluerunt comprehendere: quemadmodum infra cum dicit v: 10. *Mundus eum non cognovit*, & v: 11. *Sui eum non receperunt*, intelligendum est, quòd mundus & Iudæi eum agnoscere & recipere noluerint. Opponit enim his statim alios, qui eum grato animo receperunt, & summo propterea ab eo beneficio affecti fuerunt. Causa verò, cur non comprehenderent homines, hæc erat, quòd essent Tenebræ, & tenebris illis, hoc est, suâ vitiositate & malè agendi consuetudine delectabantur. Quod prolixius & manifestius idem Ioannes explicat, dum infra ait c. 3: *Hoc est iudicium, quòd Lux in mundum venit, & homines magis amarunt tenebras quàm lucem, quia mala erant eorum opera. omnis enim mala agens fugit lucem, & non venit ad lucem, ut non appareant opera eius. Qui verò facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera eius, quia in Deo facta sunt.* Quæ verba idè adduximus, ut ex iis duo doceremus: prius est, quòd Tenebræ sint hominum acquisita vitiositas & malè agendi consuetudo. Posterior, quòd illa ipsa vitiositas causa sit unica, cur homines non comprehendant, & nolint recipere divinitus sibi oblatam veritatem.

Notemus igitur ex his verbis, quanta sit plerumque hominum malitia, quòd divina beneficia aspernentur, & ut antea iis erant indigni, sic se magis magisque indigniores iis faciant. Quos tamen divina vindicta impunes non dimittet, sed tantò etiam graviùs persequetur,

Non comprehenderunt, idem valet, quod, noluerunt comprehendere.

Cur homines Christum non comprehendant,

C: 3. 19, 20.

quetur, quāto majorem repudiarunt a Deo sibi oblatam benignitatem.

Doctrina.

Causa incredulitatis quanam?

Meminerimus causam omnis ingratitude in homine esse, & cur locum apud eum non habeat divina veritas, ejus improbitatem, quam scilicet non vult detegi, & quā non vult privari. Habet unusquisque aliquid, quod in mente sua adorat, & pro vero aliquo bono habet, sive id ad voluptates, sive ad ambitionem, sive ad avaritiam pertineat. Hoc cum retinet, dementat, & impedit, quo minus possit cernere verum bonum, quod est immortalitas. Non quod hoc non præstet omnium iudicio aliis bonis, sed quia hoc bonum est futurum & inaspectabile, & quia modus id consequendi est nimis contrarius cupiditatibus hominum. Voluit autem Deus & tale esse illud bonum, & talem ejus consequendi viam, ut suam nobis sapientiam patefaceret, & hominum mentes probaret.

Erroris refutatio.

Valeant quicumque vel minimam partem perditionis humani generis Deo & ejus prædestinationi tribuunt. ii enim & Deum blasphemant, & hominibus ad omnem, si non impietatem, saltem negligentiam in pietate fenestram aperiunt, daturi ea de re Deo rationem, nisi, postquam moniti sunt, resipiscant. Et hæc est tertia Iesu Christi muneris præstantia, quā id describit D. Iohannes; & primus modus, quo illud commendavit.

## Homilia quarta.

**N**unc transeamus ad secundam commendationis Iesu Christi & muneris ejus modum, qui constat comparatione ejus cum Ioanne Baptista, & continetur v: 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13.

Absolvitur autem modus hic commendationis duabus partibus. I. est, Descriptio muneris Iesu Christi, quatenus, collatum cum munere Ioannis Baptista, illi præstat.

In Descriptione muneris Ioannis Baptista consideranda duo, 1. Muneris autoritas. 2. proprietas ejusdem. Autoritas his verbis continetur: *Erat homo, (qui) missus (erat) a Deo, cui nomen Ioannes.* Vbi duo sunt iterum notanda. 1. Quod homo iste fuerit missus à Deo. 2. Quod nomen habuerit Ioannis. Quod a Deo fuit missus, id docet, cum non fuisse à Christo subornatum, & non sponte sua, nec ex suo arbitrio ad tantum munus accessisse, quod semper antiquitus male apud populum Israëliticum audiebat; & ipse Deus de falsis prophetis

phetis conquerens, hoc inter alia etiam commemorat, quòd cucurrerint, & multa nova hominibus annuñciaverint, cùm tamen Deus eos non miserit, hoc est, eis illud non praeceperit neque injunxerit. Talem igitur Ioannem Baptistam non fuisse docet Ioannes Apostolus, dum ait, Eum a Deo fuisse missum. Mitti autem a Deo non est, ut hodie ineptissimè, cùm de Christo est sermo, explicant nostri adversarii, mitti ad nascendum, vel in hunc mundum, natum prodire: sed est, certo alicui muneri a Deo præfici. Mitti etiam eos semper opus fuit, quicumque aliquid novi populo Dei essent annuñciaturi, vel alios etiam extraneos ad Deum adducturi, hoc est, necesse fuit, evidentia ejus rei indicia extare, Deum eos ad id faciendum compulisse, & Deum eos immediatè, vel per angelum aliquem, vel per certam visionem, vel alio modo miraculoso & singulari ad id elegisse. Cujus rei indicia erant ab ipso mundi initio in omnibus, quos Deus unquam ad alios misit, ut eis divinam voluntatem revelarent; quòd eos Deus spiritu suo afflavit miraculoso modo, ut ii, qui idiotæ plerumque erant, accedente illo divino afflatu, evaderent rerum divinarum peritissimi, vel etiam qui vulgares antea homines fuerant, accedente isto spiritu divino, miracula ederent omnes naturæ limites superantia, ex quibus appareret, Deum singulari modo adesse illis: & hoc modo omnes ferè quicumque a Deo unquam missi fuerunt, armati etiam fuere & hominibus commendati.

Dicet aliquis, Quænam fuit ista singularis sapientia, quâ Ioannes Baptista fuit præditus, & quænam ipsius fuere miracula, quibus veritatem eorum, quæ docebat, demonstravit, cùm legatur infra, Ioannem Baptistam nullum signum edidisse? Ad hæc respondemus: Quod ad singularem sapientiam Ioannis Baptistæ attinet, quâ a Deo fuit donatus, eam non tantum fuisse talem, qualis ante eum aliis etiam contigerat prophetis, verum talem, qualem antecum nemo omnium unquam habuerat. propter hanc enim solam scriptum est de Ioanne Baptista: *Quòd inter natos mulierum non extiterit major propheta Ioanne Baptista.* adeò, ut ipse etiam Christus dixerit, eum plus fuisse, quàm Prophetam; & ipse Ioannes interrogatus, an esset propheta, negaverit se esse, propter hoc ipsum scilicet, quòd esset plus quàm propheta, ut etiam ibidem addit, interrogatus quidnam esset, nimirum, se esse vocem clamantis in deserto, &c. de quo prophetarum ferè primus vaticinatus sit. Quænam verò ea fuerit, jam investigare opus est, ut scilicet & singularis & nova, eaque talis esse appareat, quæ nulli unquam prophetæ data fuerit. Est autem hæc: Quòd Ioannes Baptista hominibus peccatoribus, & ex mente Legis morte

Ierem: 23.

Quid sit mitti a Deo.

Quosnam missos esse oportuit.

Ioan: 10. 41.

Ioannis B. singularis præ] aliis prophetis sapientia.

Luc: 7. 28.

26.

Ioann: 1. 21.

23.

Matth. 11. 12.

Differentia Legis &amp; Evangelii.

Heb. 10. 28.

Luc. 7. 29.

Luc. 3. 11, 12, 13, &amp;c.

Luc. 1. 77.

dignis, annuntiavit pœnitentiam & remissionem peccatorum. *A diebus enim Ioannis vim patitur Regnum celorum, & raptores id rapiunt.* hoc est, accessus patuit ad gratiam divinam hominibus eâ planè indignis, & raptores, hoc est, illegitimi possessores ad istam gratiam, ac si essent ejus hæredes, pervenêre. *Lex enim & propheta usque ad Ioannem vaticinati sunt*, hoc est, ea quæ Lex & Prophetæ docebant, de interrimendo peccatore, & Legis divini violatore, tantùm durârunt & vim habuerunt usque ad tempora Ioannis, a quibus alia voluntas Dei multò liberalior & benignior revelata est. Cujus causa etiam Christus, cùm hac de re loqueretur, ista sua usitata acclamatione & epiphonemate usus est: *Qui habet aures ad audiendum, audiat.* Lex & prophetæ tantùm remittebant peccata commissa per ignorantiam & infirmitatem, si quis sacrificia a Deo præcepta offerret: qui verò excelsio brachio peccabat, is ex mente Legis & prophetarum nullam peccati istiusmodi veniam sperare poterat, sed absque omni miseratione moriendum illi erat; & si aliquando alicui mors irrogata non fuit, hoc planè singulare erat, & extraordinarium. Neque unquam laetis fuit, durante Lege, velle resipiscere, si quis excelsio brachio peccasset: Lex etiam & prophetæ, si fortassè alicuj peccatum excelsio brachio commissum condonabatur, tantùm eo modo condonabant, quòd pœnas temporales ab eo, qui peccârat, auferebant, veram autem felicitatem, quæ in immortalitate & donatione vitæ æternæ consistit, nemini promittebant: At Ioannes Baptista non tantùm iis, qui per ignorantiam & infirmitatem lapsi essent, sed etiam iis, qui excelsio brachio non semel atque iterum in Deum peccassent, sed perpetuo malè agendi habitu irritare Deum quodammodo videbantur, omnium istorum peccatorum remissionem annuntiavit & promisit, si verè & ex animo resipiscerent, & ad Deum sese converterent. Tales autem tunc erant, Publicani, & Meretrices. De quibus legitur, quòd Deum justificaverint, cùm audirent Ioannem Baptistam tantopere commendari a Iesu Christo, quia scilicet ei crediderant & baptizati ab eo fuerant: Tales erant milites & alii eorum similes, quibus omnibus certam resipiscendi & vivendi rationem Ioannes præscripsit. Præterea omnibus illis, quicumque verè & ex animo resipiscerent, promisit non tantùm liberationem a pœnis, quas secundùm Legem commertiti fuerant, verùm etiam insignis alicujus boni donationem, quod prope esse dicebat, nempe per Iesum Christum explicandum & dandum. Ob quam causam Zacharias pater ejus, de eo dixit, quòd debuerit dare scientiam salutis hominibus per remissionem peccatorum.

Quod verò ad confirmationem muneris Ioannis B. attinet, verum qui-

rum quidem est, eum nulla edidisse miracula, & voluisse fortasse Deum, ut hoc ipso differret ab aliis prophetis, & eos superaret, quod scilicet dignus esset, cui fides etiam absque miraculis adhiberetur; & interim etiam ab ipso Iesu Christo differret, & eo esset, ut aliis, sic etiam hoc modo inferior: Sed tamen loco miraculorum, quæ edere Ioannes B. debuisset, fuit ejus non tantum miraculosa conceptio & nativitas, verum etiam ejus in deserto habitatio usque ad illud tempus, quo a Deo missus fuit, & revelatus Israël; vita ejus in deserto dura & aspera; summa modestia, gravitas, zelus, ex quibus omnibus & singulis quis probus cognoscere potuit, eum a Deo missum esse. *Nam qui non suam, inquit Dominus, sed ejus, qui se misit, gloriam querit, is verax est, & nulla in eo inest injusticia.* Quoniam igitur istam doctrinam, cujus Ioannes præco fuit, nemo unquam antea audiverat, vel prædicarat; quoniam etiam ita insolito more educatus fuit; quoniam denique vitam tam duram egit, hinc jure concluditur, eum a Deo missum, & divinitus illi ab ipso Deo munus ejus impositum fuisse.

Quidam in Io-  
Ioannis Baptistæ  
loco miraculo-  
rum fuerit.  
Luc. 1. 60.

Ioan: 7. 18.

Hinc igitur petenda doctrina, de eo, quomodo Deus agat cum hominibus, dum eis aliquid annunciat, quod scilicet eis id omnibus modis persuadere conetur per eos, quos ad id annunciandum mittit, ne homines de nimia credendi difficultate conquerantur, & injuriæ se affici dicere possint. Propterea etiam Apostolis tanta fuit data potestas edendi varia miracula, ut vel hinc appareret omnibus, eos a Deo missos esse, & ea omnia, quæ docebant, esse verissima. Quicumque igitur novum aliquid & antea inauditum persuadere hominibus conatur, nunquam debet autoritate sua sola illud velle efficere, sed rationes & demonstrationes ejus afferre & certissimas & evidentissimas. Itaque hodiè omnes, qui novas doctrinas excogitarunt, quæ cum doctrina Christi non conveniunt, nulla fide digni sunt, nisi miraculoso similiter modo demonstrent & evincant, se a Deo missos ad id esse.

Doctrina;

Ex his omnibus videre est, quomodo cum ratione omnes ii hodiè insaniant, qui flagitant ab omnibus illis, quicumque alios docent Evangelicam veritatem, & in eos instruunt, ut doceant, se esse missos. Cum nemo istorum, qui alios in Evangelica veritate erudiunt, id affirmet, nec affirmare necesse habeat, se esse ad id divinitus missum, eo modo, quo vel propheta olim vel Apostoli Iesu Christi missi fuerunt; idque propterea, quia nihil novi doceat, quod ab omnibus, qui Christi religionem receperunt, receptum non sit.

Cur Ministris  
hodiernis non sit  
opus missione;

Quod si quis dicat: Nova esse ea, quæ a nostris vel etiam ab aliis  
asserun-

afferuntur, quia a multis retrò seculis audita non fuerint inter professores nominis Christiani. Huic respondemus, primùm, non propterea aliquid novum esse, quia novum esse respectu alicujus alterius rei, quæ vetustior est, videatur; sed hoc demùm novum verè esse censendum est, quod nunquam antea auditum fuit. Fieri enim facilè potuit, ut id, quod olim auditum fuit, ab aliis opprimeretur ad tempus, Deo ita permittente, vel etiam volente. Deinde id, quod novum assertur a nostris vel ab aliis, respectu eorum, quæ antea inter Christianos vigeant, non esse doctrinam novam, sed novam tantùm veteris illius doctrinæ Iesu Christi explicationem, idque non simpliciter novam, sed secundùm quid, quatenus scilicet alii eam antea non audiverunt, quæ tamen audita fuit aliquando, cùm adhuc integra esset religio Christiana. interim nemo illorum, qui istas explicationes afferunt, vel per somnium dubitat de veritate religionis Christianæ, sed eam ut verissimam amplectitur, & scripta Apostolica pro unico ejus fundamento agnoscit, & eatenus tantùm fidem suis haberi vult explicationibus, quatenus cum doctrina Apostolica conveniant, sponte sua confitens, si cum ea non conveniat explicatio sua, nihil esse, cur quis fidem tribuere ei debeat.

At, instet aliquis, Non decere eum, qui alios docet, ita illotis manibus ad tantum munus accedere, & provinciam istam sua sibi autoritate arrogare. Extare enim manifesta ejus rei indicia & exempla, eos, qui in cœtibus Apostolicis alios docebant, ab Apostolis ad id fuisse destinatos. Hic nos libenter fatemur, rem ita se habere; Imò etiam contendimus, quantumvis liberum sit, ut quis ad hoc munus alios docendi sponte sua aspiret, & illud, ut Apostolus loquitur, appetat: tamen in ecclesia jam constituta nullo modo decere, ut unusquisque sibi pro libitu suo docendi provinciamumat: (aliter enim de iis temporibus sentiendum est, quibus nulla extat visibilis ecclesia, vel nondum constituta apparet. Tunc enim planè statuendum esse videtur, ut is, qui aliis rerum sacrarum cognitione præstat, & vera pietate eos superat, sponte sua, si ita opus sit, hoc munus aggrediatur, motus amore divinæ gloriæ, & salutis hominum) sed necesse esse & perutile credimus, si per suffragia eorum, qui in ecclesia primi sunt, adeoque universa quodammodo ecclesiæ, ad istud munus promoveatur, & ita omnia decenter & secundum ordinem fiant: imò etiam, ut Seniores ecclesiæ, si ita ferat consuetudo, manibus ei impositis tantam dignitatem deferant, & in ea gerenda confirmant. Breviter dicendo: Fiant omnia, quæcunque & Christianæ religionis majestas, & varietas variarum rerum, locorum, temporum, hominum circumstantiæ requirant

Quomodo constituendi Ministri.

1. Tim: 3, 1.



requirunt: Sed hoc totum longè aliud esse censendum est, quàm ista Missio, de qua nobis sermo est. Fieri enim poterit, ut is, qui hac ratione ad munus docendi eligitur, que madmodum eo indiget, ut singulis diebus sacris literis det operam: sic etiam multa eorum, quæ ad divinam veritatem cognoscendam, & ad munus illius pertinet, ignoret, & in quibusdam etiam erret; confirmationes verò doctrinæ suæ nullas habebit, præter eas, quas ipsa doctrina secum fert, nempe demonstrationes ejus petitas ex principiis istius religionis, quæ sunt sacræ literæ, in primis verò scripta novi fœderis, & vitam piam ac religiosam. Istud prius in eum, qui missus est, cadere non debet, nec unquam cecidit: Hoc verò omninò parum est ad missionem alicujus probandam. Extant canones Apostoli D. Pauli; secundùm hos eligantur, examinentur, constituantur Doctores & episcopi ecclesiarum; præter ea, quæ ibi sunt, nemo plura desideret, nisi ipsos Apostolos inscitæ accusare velit. Inter quæ, quantumvis multa, cum nulla fiat Missionis istius mentio, hinc vel cæcus videre potest, non esse de essentia muneris pastoralis, istam Missionem.

Sed jam ad rem redeamus, postquam hoc unū verbum addiderim: Tanti, suo modo, hodie debere fieri omnes eos, qui secundùm legem Apostolicam ad istiusmodi munera electi sunt, & illis funguntur, quanti olim fiebant, qui ab ipso Deo missi erant, propter hoc ipsum, quia lex illa Apostolica pro Dei voluntate habenda est. unde etiam ipse Apostolus de iis, qui vel ipsius vel etiam aliorum piorum suffragio constituti erant, dicit: Spiritus sanctus vos constituit episcopos super gregem Domini. Tunc cum valebat Missio, Missi magni faciendi erant: nunc cum istum modum, quem Apostoli præscripserunt, Deus valere vult, isto modo electi magnifient. Inter omnia enim, quæ cœtus Iesu Christi habet, munera, nullum est & difficilius, & ecclesiæ utilius, quàm munus docendi alios. Hinc Paulus in primis prophetiæ donum commendat; & eos, qui præ sunt verbo, ex senioribus, duplici jubet honore affici; & eum, qui docetur, cum eo, qui docet, jubet communicare omnia bona. Et hæcenus absolvimus unum illorum, quæ in explicanda muneris Ioannis Baptistæ autoritate exponenda nobis erant, quòd scilicet a Deo fuerit missus.

Alterum est, quòd *nomen ei fuerit Ioannes*, quod non sine causa sa additum fuisse credendum est a D. Ioanne. Voluit nimirum ostendere, convenisse nomen rei, & rem nomini. vocabulum enim Ioannes gratiosum significat. Atqui verè gratiosus is fuit, a quo cœpit annunciari remissio peccatorum omnibus peccatoribus. Estque hoc observandum in sacris literis, quòd omnia ea nomina, quæ homines

F

divini

Quanti sint faciendi Ministri, secundùm Canonem Apostolicum electi.

Act: 20, 28:

1. Cor: 14.  
1. Tim: 5. 17.  
Gal: 6. 6.

Nomina hominibus divinis cur indita,

Gen: 17. 5.  
Gen. 32. 27, 28.

Matth: 1. 21.  
Luc. 2. 31.

Ioan: 1. 43.

Mar: 9. 17.

Act: 11. 26.

Adhortatio.

Mal: 6. 10.

divini habuerunt a Deo sibi singulariter imposita, aliquid etiam singulare, & dignitati eorum correspondens semper comprehenderint, & significarint. Hinc illud augustum nomen Abrahami, quod patrem multarum gentium significat. Hinc nomen Israelis Iacobo Patriarchæ datum, quia Deum vicisset, & futurus esset populus ex eo oriendus spiritualis, semper fortissimus. Hinc etiam nomen illud salutariferum IESUS impositum est recens nato, vel potius nascituro Domino nostro. Quia scilicet, ut ipse Angelus ait, servaturus esset, & nunc verè servat, populum suum a peccatis ejus. Hinc, ut ad tempora novi Fœderis etiam transeamus, Simon, filius Ionæ, a Christo Petra nominatus est; quia esset futurus unus ex illis, quibus nati debuit sanctissima Christi religio, & inter eos tantùm non primus. Hinc Iacobus & Ioannes Filii tonitru, propter vividum proculdubio, & penetrabilem modum prædicandi Evangelium, quo essent homines territuri & perculsuri. Hinc denique, ut a specialibus ad unum generale descendamus, omnibus Christi discipulis nomen Christianorum, quod Vinctos significat, inditum est, ut scilicet appareret, eos singularis istius Regis cælestis, singularem esse populum, & cum eo ita unitum, ut ex uno omnes pendcant, nempe Deo; & ejusdem generis, licet impari quantitate, amore & favore ab eodem foveri, & in æternum fovendos esse.

Hinc, quemadmodum jure omnes miramur ista divinis hominibus divinitus imposita nomina, ita semper aliquid egregium discimus, & ad aliquid singulare considerandum permovemur, dum ista nomina consideramus; idque jure. In hunc enim finem Deus ea illis imposuit, ut homines ea & mirarentur, & ejus insignia facta diligenter examinarent. Cōsolationem ex eo habent omnes Christiani, qui nati sunt ex Ethnicis, dum audiunt, eum, qui aliquando inter omnes Deo erat charissimus, & Dei amicus appellatur, patrem esse multarum gentium, hoc est, se etiam, si vestigiis fidei ejus insistant, ad eandem cum Abrahamo pertinere benedictionem & felicitatem. Tacitam ex eo petunt omnes probi adhortationem, dum audiunt, Iacobum olim Israëlem appellatum, & nunc omnes, quicumque in Christum credunt, esse illum Israëlem Dei, ut scilicet fortissimo animo omnia superare contendant, quæcunque illis obstare ad verè Deum colendum videtur. Rursus omnium perfectissimam consolationem, & adhortationem ex eo ad se manare vident omnes, dum considerant sacrosanctum Domini nostri IESU nomen. Se scilicet salutis annunciatorem, confirmatorem, possessorem, procuratorem & datorem habere, salutisque non terrenæ, non temporalis, sed cælestis & æternæ,

æternæ, nempe liberationis a reatu peccatorum, qui est Mors æterna: si tamen per eundem patiantur se liberari ab omni peccatorum consuetudine. Confirmantur denique omnes Christiani, dum audiunt & considerât, quàm egregia nomina sint imposita illis, qui primi hujus nostræ religionis post ipsum Christum fuêre & præcones & quasi fundatores; posse nimirum se tutò huic religioni confidere, & ei constanter adhærere. Sic etiam dum audimus, legimus, & consideramus, quale sit nomen divinitùs impositum omnibus Christi professoribus, justum est quidem, ut omnes singulari perfundamur in animis nostris læticia, quòd a Rege nostro, cæleste cognomen simus adepti, quòdque non pudeat Iesum Christum nostrum Regem, nos etiam dignari sui illius præstantissimi nominis aliquâ portiunculâ, & a se Christo, Christianos appellare, ac si diceres ab Unctò perfectè, unctos nûc suo modo, & olim perfectè etiam ungendos, hoc est, summâ gloriâ & felicitate donandos. Sed non minùs justum est, ut nominis hujus nostri recordatio nos etiam singulare aliquid doceat, & officii nostri moneat, ut scilicet verè studeamus esse a Deo Spiritu illius sancto perfusi, qui nos regat, gubernet, & omnia nostra facta, dicta & cogitationes ipsas, memores illius: *Qui non habet spiritum Christi, non est ejus*; & illius: *Recedat ab omni injustitia, quicumque nomen Christi nominat*. Gaudeamus hac nostra felicitate, quòd, ut ut pulvis sumus, simus tamen Christiani; exultemus præ gaudio mentis nostræ; tantùm caveamus, ne frustra tanto bono gaudeamus. Quam in re juvet nos Deus noster clementissimus. Amen.

Hactenus audivimus descriptionem muneris Ioannis Baptistæ, ex autoritate, quam habuit istud munus. Nunc ad proprietatem ejusdem muneris veniamus, ex qua illud etiam D. Ioannes commendat. Hæc autem in his verbis continetur: *Hic venit in testimonium, ut testaretur de illa Luce, ut omnes per eum crederent: Non erat ille Lux illa, sed ut testaretur de illa luce*. In quibus rem illam, quæ propria erat muneris Ioannis Baptistæ, primùm extollit D. Ioannes: Deinde etiam restringit. Extollit, dum ait, & suo more semel atque iterum repetit, cum fuisse missum, ut testimonium perhiberet illi Luci, ut omnes per eum crederent. Reliqui omnes prophetæ non tam testes, quàm prænuntiatores D. Iesu Christi fuerunt: Solus Ioannes Baptista, propriè loquendo, testis fuit illius. Testis enim non futura prædicit, & ab aliis conspicienda: sed præsentia, & a se conspecta & cognita testatur. Vidit Ioannes Iesum præsentem; cognovit eum modo admodum singulari, quòd nimirum vidit Spiritum Dei descendentem de cælo, cum sono & flatu quodam visibili, non aliter ac si columba de cælo

Rom: 8. 140

2. Tim: 2. 19.

Ioannes B. ecclie Christi.

descenderet, & super eo requiescentem; & dictum ei antea fuerat, hunc, super quo ista apparitura essent, Dei esse illum filium. De hoc igitur testatus est, quod esset Messias & Servator mundi, & Legatus ille Dei magnus & exoptatus, cujus ipse sit præcursor. Voluit Deus, ut omnes alii Israëlitarum, ad quos erat mittendus Iesus Christus, testimonio & autoritate Ioannis Baptistæ adducerentur & promoverentur ad fidem Christo habendam. Quæ res certè non caruit summa dignitate & præstantia. Quemadmodum ex eo etiam summa apparet Apostolorum præstantia & dignitas, quod per eorum testimonium tot hominum myriades fidem Christo dedere, & omnes dare potuissent, si voluissent. quemadmodum etiam non minima hæc est uniuscuiusque eorum, qui in Christum credunt, in hoc mundo felicitas, si accidat, ut unustantum atque alter per eum ad cognitionem veritatis perveniat, & vel ex non Christiano Christianus; vel ex imperfecto & seducto perfectior fiat, & in veram viam reducatur. Et quod quis hac in re plus præstare potest, & præstat, tantò cum esse illustriorem, manifestum est. Illustrissimum igitur fuisse Ioannem Baptistam concludendum est, cujus muneris proprietates hæc erat, Testari de Iesu Christo, ut omnes per eum, in illum crederent.

Quid de Christi  
persona & munere  
sentiendum  
sit, ex testimonio  
Ioannis Baptistæ  
discendum.

Obiectio.

Responsio.

Sed hinc, docendi causam dicendum aliquid videtur de Iesu Christi & persona & munere, quod ad decidendam eam, quæ hodie inter nostros cœtus & alios Christiani nominis professores viget, pertinet controversiam. An scilicet Iesus Christus sit ille unus Deus, qui pater est; & an idem in mundum venerit, ut iustitiæ divinæ pro peccatis nostris satisfaceret, & vitam nobis æternam morte sua mereretur. Nemini dubium esse potest, nec debet, Ioannem Baptistam iis de rebus testari planè debuisse, quæcunque ad Christi tam personam quam munus pertinent. Alioquin quomodo testis esse potuisset, & quomodo in Christum per eum credere omnes potuissent? Nemini igitur dubium etiam esse potest, si Ioannes Baptista ea de Iesu Christo testatus non sit, quæ hodie cœtus Christianorum confitentur, ea planè esse erronea & a vero dissentanea. Prodeant igitur omnia loca, imò omnia verba in medium, quæ Ioannem Baptistam de Iesu Christo testatum fuisse constat, & videamus, an vel omnia, vel aliqua eorum possint id docere, quod hodie multi existimant. Nos quidem aliter rem se habere planè persuasum habemus. Neque est, quod quis dicat, Ioannem Baptistam non habuisse perfectam Christi cognitionem; nec etiam omnia extare scriptis comprehensa, quæ ille de Christo testatus sit. Nam, ut detur hoc, quod Ioannes Baptista Christum perfectè non cognoverit, certum tamen est, & semper erit, Ioannem Bapti-

non

non potuisse testari ea de Iesu Christo, quæ falsa & cum vero pugnantia essent. Nos verò ea omnia, quæ ipse de Iesu Christo testatus est, planè contraria eis esse contendimus, quæ hodie publicè inter Christianos de Christo docentur. Deinde non credibile est, Apostolos ea tantùm Ioannis Baptistæ de Christo testimonia & verba conscripsisse, quæ essent minoris momenti, & in quibus non contineretur id, quod caput est rei, hoc enim esset summæ vel inscitæ, vel negligentia, præsertim in re tanta, quæ omnium hominum salutem spectat, cui tamen procurandæ illi a Deo erant præfecti. Sed non credimus, quenquam fore cordatum, qui ad ista effugia recursurus sit. Audiamus igitur, quid afferri ex omnibus testimoniorum Ioannis Baptistæ verbis possit, ad demonstrandam hanc sententiam, Iesum Christum esse illum unum Deum, qui Pater est.

Ego quidem hæcenus præter hæc pauca nihil afferri audivi, quòd Ioannes Baptista dixerit de Iesu Christo, quòd, qui post se venit, prior se fuerit, quia ante se factus sit; quòd Christus de cælo fuerit, & Ioannes Baptista respectu eius de terra; quòd sine mensura, ut vulgaris est opinio, Spiritum S. habuerit; quòd in eum credere omnes oportuerit; quòd is sit, qui ecclesiam suam purgaturus sit, & impios puniturus, pios verò æterna felicitate donaturus. Atqui hæc omnia parum sunt ad efficiendam hanc conclusionem: Ergo Christus est ille unus Deus. Nam quod ad primum attinet, nonnè legitur, quòd virum eum manifestissimè appellet, quem dicit priorem se fuisse? Vir autem non potest esse unus Deus. Deinde nonnè vox prior, tam apud prophanos quàm apud sacros scriptores, prioritatem (ut sic loquar) non tantùm temporis sed etiam dignitatis significat? Quod exemplis illustrare nimis foret tædiosum, cùm nemo ista nesciat. Quomodo autem ex eo, quod diverso modo prius esse potest, concludetur rectè, illud hoc certo modo prius esse? Nonnè quod semel legitur, Christum fuisse priorem Ioanne Baptistæ, legitur ter apud tres Evangelistas, eum fuisse fortiorem? At fortiorem aliquo esse, non præsupponit prioritatem temporis. Cùm etiam is, qui tempore aliquo posterior est, possit esse fortior & dignior eo, qui se tempore prior est. Imò in quibusdam rebus aliter fieri non potest, qualis nimirum hæc est, de qua nunc loquimur. Semper πρὸς ῥομῶν & præcursor tempore prior est suo Legato, cujus est prodromus, & rursus Legatum semper suo πρὸς ῥομῶν præstantiorem esse, res ipsa loquitur.

Christum de cælo fuisse, etiam respectu Ioannis Baptistæ libenter

Argumenta ad-  
versariorum ex  
testimonio Ioan-  
næ Baptistæ.

Refutatio illo-  
rum.

Christus prior  
Ioanne dignita-  
te.

Matth. 3. 11.  
Mar. 1. 7.  
Luc. 3. 16.

Christus de celo  
fuisse dicitur ob  
muneris præstan-  
tiam.

Heb: 12. 29.

Ioan: 3. 31.

ter concedimus, non tam ratione ejus, quodd Christus in cœlum pri-  
ùs ascenderit, quàm homines divinam voluntatem docere incepit, &  
ita de cœlo venit (de hoc enim non putamus Ioannem Baptistam lo-  
qui) quàm ratione ejus, quodd omnia, quæ Iesus docuit, merè & per-  
fectè divina fuerint, & modus ea tradendi divinus & cœlestis, & om-  
nia cœlestia, quæcunque ad Evangelium ejus pertinent: cùm con-  
trà Ioannis Bapt: munus, doctrina, & omnia, quæ ad eam pertinebant,  
essent potius terrena, & quæ humanum captum non ita superarent,  
ut Christi doctrina & munus. Hoc enim modo voces illas Terram &  
Cœlum accipi, ut id, quod minùs perfectum est, & minùs excellenti  
modo proponitur & perficitur, de terra dicatur esse, & in terra fieri:  
istud verò, quod perfectum est, & excellentissimo modo proponi-  
tur & perficitur, de cœlo esse & de cœlo fieri, vel divinum esse,  
quamvis utrumque a Deo proficiscatur, quamvis etiam utrumque  
in terra annuncietur, docet locus ille Hebr: 12, ubi autor Epistolæ il-  
lius ait, Deum olim in terra negotium egisse, puta, cùm Legem tra-  
deret: nunc autem de cœlo loqui. Cùm tamen Lex per se divina es-  
set; & Evangelium non minùs in terra hominibus annunciatum sit &  
annuncietur, quàm Lex. Quia scilicet aliquid Terrenum erat Lex, non  
simpliciter quidem, sed collata cum Evangelio, quod planè divinif-  
simum est, atque ad eò ipsa in eo relucet divinitatis plenitudo. Quan-  
quam ipse locus Ioan: 3, quid per Terram, quid per Cœlum intelligi  
debeat, ostendit. Nec enim simpliciter loquendo, Ioannes Bapt: ex  
terra loquebatur; cùm ipso Christo teste, baptisma ejus de cœlo fue-  
rit: Sed id eò sic loquitur Ioannes, ut, Christi doctrinam suæ præstare  
plurimùm, doceat. Apparet igitur, posse aliquem, non de terra, sed ex  
cœlo profectum, supra omnes esse, & tamen ex eo nullo modo con-  
sequi, eum esse unum illum Deum. Illud enim *supra omnes* non ad om-  
nia etiam universaliter extendendum, sed ad homines tantùm hoc  
in loco restringendum est. Quanquam interim non negemus, Iesum  
Christum nunc supra omnia, Deo solo excepto, esse, dono scilicet Dei  
talem constitutum.

Christus Spiritu  
a Deo Patre da-  
tum habuit.

Sensus verborum  
alius,

Spiritum sanctum Christum habuisse non ex mensura concedi-  
mus: sed addimus, Datum. Sic enim ibi loquitur Ioannes: *non ex men-  
sura dat Deus spiritum.* At ei, qui unus Deus est, nihil dari potest: nec  
ei, qui unus est Deus, licet humanam habeat naturam, quicquam da-  
ri a Patre potest. Cùm is sit unus Deus cum Patre, æqualis potentia.  
Nihil autem nunc dicim⁹, quodd non planum sit, hæc verba de Christo  
esse accipienda, cùm in textu desit vox *ei*, quæ tamen planè neces-  
saria esset, si de Christo ea verba accipienda essent; & omiſſa hac vo-  
cula

cula sensus inde elici possit alius non contemnendus: Deum nimirum dare Spiritum suum, non ex mensura, hoc est, Deum dare dona sua, cui velit, huic ampliora, illi rariora. De quo nunc non est dicendi locus.

Debetur Christo fides: sed qui in eum credit, non credit in eum, sed credit in illum, qui eum misit; & per eum credimus in Deum. At qui credit in Deum, de eo dici non potest, eum non credere in Deum, sed per Deum in alium. Nihil autem mirum est, in Iesum Christum credi, & eum tamen Deum unum non esse, cum in homines multò ipso inferiores olim homines crediderint: quia scilicet omnis fides, quæ in ipsis ponebatur, ad Deum tamquam ad ultimum suum scopum tendebat. Et si fas erat, credere in homines mortales, & vix umbrâ divinitatis præditos: quid mirum est, si hodie credatur in eum, qui vivit in æternum, & in quo tota divinitas residet, & qui nunc loco ipsius Dei in cælo regnat & in terra? Itaque non erat ostendendum, nos teneri credere in Iesum Christum: sed nos teneri eadem ratione in eum credere, quâ in Deum unum credimus. Alioquin turpissimâ fallaciâ turpissimus error confirmabitur.

Quòd verò Christus dominus est suæ ecclesiæ, id nemo, nisi hostis Christi unquam negabit: sed non hoc queritur. obvia enim sunt Christi ipsius verba: Datam sibi esse potestatem omnis carnis, eamque a Patre, ut eis, quos dedit ei pater, det æternam vitam; obvia sunt testimonia Apostolorum, Deum exaltasse Iesum Christum, ut esset Servator, ut in nomine ejus annunciaretur remissio peccatorum; iussit Christus annunciare, se esse, quem Deus constituerit judicem vivorum & mortuorum. Breviter dicam: Nihil tam sublime, nihil tam divinum de Iesu Christo dici potest, quod ad salutem nostram sempiternam facit, quod nos non tribuamus Iesu Christo: Imò persuasi sumus, nos omnia ea, quæ ad salutem nostram spectant, multò rectius ei tribuere, quàm omnes nostri adversarii, & multò plura eorum, Deibeneficio, intelligere, quæ Iesu Christo tribuenda sunt, quàm illi. Tribuant ei, quantum velint; tribuamus & nos. Hoc nos nunquam superabunt: faxit Deus ut nos æquent. Hoc verò demonstrent, in hoc desudent, huc omnia sua studia, omnes vires conferant, Iesum Christum talem & tantum, qualis & quantus nunc est, fuisse ab omni temporum æternitate, a seipso, naturâ suâ; & nos protinus manus dabitimus. Hoc quia præstare non possunt, cessent Christi divinitatem exaggerare, quasi scilicet nos eam negemus, vel tantillum ei derogemus: imò discant a nobis, quid Iesu Christo tribuendum sit, ei, inquam,

Ioan: 12. 44.  
1. Pet: 1. 21.

Qua ratione fides Christo competit.

Ioan: 17. 20.  
Act: 5. 31.

Christus Ecclesiæ Dominus, sed a Deo constitutus.  
Act: 10. 42.

quam, qui aliquando mortalis homo fuit, & mortuus, & nemini ante vel extra ipsum. Iesus Christus est noster Mediator & Servator: Iesus Christus est, per quem speramus summum illud bonum, Resurrectionem & Immortalitatem: Sed iste Iesus Christus homo est; & homo noster mediator est; per hominem resurrectio est. Hunc D. Ioannes Virum appellavit; hujus se calcos qui portet, indignum esse iudicavit; hunc Agnum Dei esse testatus est. Quæ omnia nunquam de eo testatus fuisset, si eum unum illum Deum esse credidisset.

De munere verò Iesu Christi, quale illud esse, Christiani reliqui fingunt, quid vel indicii est in omnibus Ioannis Baptistæ verbis? Nul- lum planè. Dicent, eum testatum esse de Christo, quòd tollat peccata mundi. Sed quid hoc ad rem, quam illi fingunt? Nonné possunt peccata tolli aliter, quàm si iustitiæ divinæ pro eis satisfiat? Equidem nemi- nem puto affirmaturum. Noluisse autem Deum, ut peccata aliter tollerentur, quàm per satisfactionem, commentum est, ex curiosorum hominum cerebro natum. Remisit Deus semper peccata absque ulla satisfactione, quodcumque voluit. Remisit ea gratis; gratis se ea remissurum promisit, & gratis se ea remisisse gloriatur, Quomo- do igitur locum habere potest ista satisfactio fictitia? Tollit peccata Christus, quatenus nos liberat a peccati pœna, & in nobis efficit, ut peccato etiam valedicamus. Idque ut fieret, propterea in mundum venit, docuit, mortuus est, resurrexit, & nunc in cælis perpetuùm re- gnat. Aliud certè, aliud Iesu Christi munus fuisse testatur Ioannes, dum ex professo ait, suum munus cum Christi munere conferens: *Ego vos baptizo aquâ in remissionem peccatorum: At ille vos baptiza- bit spiritu sancto & igni.* Qui baptismus nihil aliud est, quàm perfe- cta & copiosissima revelatio divinæ voluntatis; ejusdemque singula- rissima confirmatio, & tandem beatissima perfectio & consumma- tio, de quo aliàs.

Testatus est, eum verba Deiloqui: Testatus est eum esse Spon- sum populi Dei, tanquam sponsæ suæ, hoc est, tenerimè amantem omnes eos, qui Dei sunt cultores, & eos etiam gubernare modo ad- modum benigno, que madmodum amor inter novos conjuges sem- per est tenerior & amabilior eo, qui est inter veteres; Testatus est, eum nunc purgare aream suam, & aliquando eam purgaturum, dum omni- bus sese ex animo timentibus præmia dat & daturus est cœlestia: re- liquis verò & temporales & æternas pœnas irrogat & irrogaturus est. Hoc est illud sacro sanctum, Propheticum, Regium, & Sacerdotale munus Iesu Christi, cujus omnes & singulæ partes ad summam Dei gloriam spectant, & nostram perpetuam consolationem. Imò totum

Chri-

1. Tim: 2. 5.  
1. Cor: 15. 21.

Peccata tolli  
possunt absque  
satisfactione.

Quomodo Chri-  
stus peccata tol-  
lat.

Christi munus  
quod?  
Quid baptismus  
spiritus.



Christi munus nihil aliud est, quàm imago divinæ gloriæ, & consolati-  
onum perpetuus fons, & inexhaustū mare. Valeant igitur omnia, quæ  
hactenus a miserè seductis Christianis coluntur, dogmata: Regnet di-  
vina veritas: Cedat nox Soli, & tenebræ Luci. Nos, quibus eam Deus  
concessit, teneamus eam firmissimè: reliquis ut eam det Deus no-  
ster quàm citissimè, ex animo optemus.

Hactenus igitur docuimus, quomodo Ioannis Baptistæ munus  
D. Ioannes extulerit.

Quomodo illud restringat, tempus est, ut videamus. *Non erat, a-  
it, illa lux.* Vbi primùm omnium notandum est, Ioannem hîc v: 7. vo-  
cabulum Lucis aliter accipere, quàm supra v: 4. & 5. Ibi enim manife-  
stū est, per Lucē intelligi id, cuius Iesus Christus annunciator est, vel,  
ut Ioannes loquitur, quod in ipso erat: hîc verò per Lucem illam in-  
telligitur ipse Christus. Ait enim, Ioannem testatum de ea esse, & eam  
illuminasse omnem hominem, & in mundum venisse. Nihil est au-  
tem absurdi, quòd aliquis figuratè nominatur nomine ejus rei, cuius  
est autor. Hoc modo dicitur Iesus Christus vitam & immortalitatem  
per Evangelium illuminasse, & tamen idem etiam Vita & Resurre-  
ctio appellatur.

Deinde ex illis ipsis verbis colligi potest, Ioannem Baptistam fu-  
isse aliquam Lucem. Quia scilicet non fuerit *illa Lux*. Hinc etiam ip-  
se Christus de eo dicit, quòd fuerit Lucerna lucens & ardens, hoc  
est, quòd aliquam divinæ voluntatis recèns revelatæ cognitionem  
habuerit: sed tamen neque perfectam divinam voluntatem cogni-  
tam habuerit, neque perfectè. Ioannes enim Baptista tantùm, quæ si-  
nenda essent, plerūque scivit & docuit, quæ verò facienda, ignoravit:  
Ioannes tantùm quid peccatoribus, si respicerent, sperandum es-  
set, verbis pronunciavit: quid verò illud esset, quod promittebat, ipse  
non satis intellexit. Hinc etiam omnes ad Christum relegavit, & ut  
relegaret, Deus voluit. Errant igitur toto cælo, qui viam salutis, &  
modum Deo obediendi petunt ex doctrina Ioannis; & ex eo, quòd  
Ioannes milites jubet esse contentos suo stipendio, & ne quenquam  
defraudent, præcipit, colligunt, licere hodie militare, & sanguinem  
humanum fundere, si quis suo stipendio contentus sit, & neminem  
defraudet. Nam primùm istiusmodi homines pro concessio sumunt,  
neminem militis nomen habere posse, nisi etiam sanguinem huma-  
num fundat. quod non planè necessarium esse, puto omnes videre.  
Deinde verò ex eo, quòd præcursor, qui viam Domino parabat, ea,  
quæ ad veram pietatem obstacula erant, removebat, normam viven-  
di sumere, & regulam perfectam, nimis est ineptum. Dato hoc, quòd

G

licet

Lux diversimo-  
dè a Ioanne ac-  
cipitur.

2. Tim: 1. 10.  
Ioan: 11. 25.

Ioan: 5. 35.

Ioannes B. lux  
fuit, sed imper-  
fecta.

Norma vitæ per-  
fecta, non est a  
Ioanne petenda.

homini Christiano liceat esse militi, necesse esset ista benè observare, quæ Ioannes præcipit. Sed Ioannes populum Christo non faciebat, qualis esse debuit, sed tantum parabat. Qualis verò esse deberet, Rex ille populi divini præscripsit. Is autem Legem attulit novam, caelestem, suam, charitatem proximi perfectissimam; cum qua Legge an conveniat, talem militem esse, qui humanum sanguinem fundat quacunque de causa, jam necesse est, ut consideret is, cui salus æterna, curæ est. Equidem persuasum habeo, nihil magis distare ab illa Christi Legge, quàm hominem, nedum occidere, verum etiam eundem alia re multò minori per injuriam privare. Occidere autem inimicum, & eundem amare, puto esse omnium maximè sibi contrariorum maximè contraria. Ad Christi igitur, non ad Ioannis Baptistæ doctrinam vita nostra conformanda est, si Christianorum titulum iure velimus tenere. & hæc de descriptione muneris Ioannis Baptistæ sufficiant.

## Homilia quinta.

**N**UNC ulterius pergentes videamus, Quomodo describat Munus Iesu Christi, quatenus collatum cum munere Ioannis Baptistæ, eidem præstat. In qua descriptione duo principalia Ioannes agit. Primum beneficium per Christum allatum extollit. 2. Quid in hominibus effecerit, & quomodo ab eis receptum sit, iterum exponit.

Beneficium per Christum allatum extollit, dum ait: *Erat* (scilicet sermo ille) *Lux illa vera, que illuminat omnem hominem, veniens in mundum.* Operæ igitur pretium est, diligenter considerare, 1. Cur Christus sit Lux, & Lux illa vera. 2. Quid sit, quòd omnem hominem illuminet. 3. Quomodo id fiat.

Christus cur lux sit.

Cur vera lux.

Quod ad primum: Sermo ille, qui est Iesus Christus, ut ex v: 18. apparere superius diximus, Lux appellatur, per Metonymiam effecti. Quia scilicet Lucis annunciator & dator fuit, & est. Quomodo etiam Vita, Resurrectio, Veritas appellatur. Lux autem, ut v: 4. docuimus, aliud nihil est, quàm mentium humanarum & voluntatum illustratio, renovatio & reformatio, quæ per Evangelium facta est. Lux autem *vera* appellata est, non respectu falsæ Lucis, sed minùs perfectæ, quales scilicet esse potuerunt omnes alii Prophetæ, & ipse prophetarum maximus, Ioannes Baptista. Quemadmodum 17. v: Evangelium etiam respectu Legis *Veritas* appellatur, non quòd Lex

falsa

falsa fuerit, sed quia minùs perfectè veritas in Lege est, quàm in Evangelio. Vmbra enim tantùm continet futurorum bonorum Lex, quorum imaginem habet Evangelium. Umbra verorum promissorum; umbra veri Dei colùs in Lege fuit: at nunc sub Evangelio ipsum corpus utriusque est. Hinc etiam ii, qui secundùm Evangelium Deum colunt, dicuntur in veritate Deum colere, hoc est, non in umbris. Hinc etiam in Christo, hoc est, in ejus Evangelio dicitur habitare omnis plenitudo Deitatis corporaliter, hoc est, re ipsa, non in umbra. Hoc modo etiam sedes beatorum, *Tabernaculum verum* dicitur, respectu tabernaculi, quod erat sub veteri fœdere; quia scilicet hoc illius umbra tantùm fuit. hoc evanuit & nullum est: illud perpetuò duraturum est. Lux denique *illa Vera* appellatur, quòd, etiamsi suo modo Lux, & quidem Lux vera fuerint alii ante Christum, & ipse Ioannes Baptista, & Apostoli Iesu Christi: tamen non fuerunt illo modo Lux vera, quo Dominus Iesus Christus. Is enim modo ita perfectò Lux fuit, ut nemini alii præter ipsum competere posset. Nam etiamsi alii omnes ante Christum, Regnum Dei olim futurum prædixerint; licet ipse Ioannes Baptista, & Apostoli Iesu Christi illud appropinquans annuntiãrint: nemo tamen omnium, qua in re verè Regnum illud consisteret, explicavit: Christus autem totum hoc apertissimè patefecit, & omnibus manifestavit. Docuit enim, Regnum Dei esse eum statum hominum Deo fidentium, qui eos Deo caros reddere possit & in hoc & in futuro seculo: quanta felicitas futuri seculi futura esset, prolixè docuit: modum etiam & viam, eandem consequendi, adèd disertè & luculenter demonstravit, tum præcepta aliis dando, tum eisdem obediendo, ut nemo, nisi perversus, de ea dubitare possit.

Solus igitur Iesus Christus pro vero ad veram felicitatem consequendam magistro agnoscendus est; ab eo discendum, quæ sit felicitas vera; ab eo discendum, quomodo eam assequi homo mortalis debeat. Valeat, quicumque aliquid extra Christi doctrinam unquam affert. Eatenus tantùm alii recipiendi sunt omnes magistri, quatenus ab hac Luce illustrati sunt: alioquin Tenebræ & magistri tenebrarum, hoc est, ignorantia & errorum censendi. Ad solius Christi doctrinam omnis eorum vita conformanda est, quicumque hoc tempore beati esse cupiunt. Non est enim datum sub cælo aliud nomen, in quo nos oporteat servari, præter nomen Iesu. Hactenus de i. Cur Christus sit Lux illa vera appellatus.

Quid verò sit, quòd *omnem hominem illuminet*, duplici ratione considerari potest. Alter est respectu verborum *omnem hominem*,

Heb. 10. 26.

Ioan. 4. 26.

Heb. 8. 2.

Cnr illa vera lux.

Matth. 5. 14.

Doctrina.

Act. 4. 12.

Quis sit sensus  
verborum, Om-  
nem hominem.

Vox, Illuminat,  
quomodo, acci-  
pienda.

1. Joan: 4. 14.

1. Tim: 2. 6.

1. Ioan: 2. 2.

Quomodo Chri-  
stus gentes illu-  
minavit.

Ephes: 2. 17.

Consolatio.

Cautio.

*nem*, alter respectu vocis *illuminat*. Verba illa, *omnem hominem*, pos-  
sunt vel ita accipi, quòd, quicumque hominum illuminatur, is per  
Christum illuminatur; vel ita, quòd non tantum pios, verum etiam  
improbos; non tantum Iudæos verum etiam gentes, per Apostolos  
scilicet, illuminet, hoc est, ad eos illuminandos, licet diverso tem-  
pore, missus sit. Quicquid enim est reformationis in hominibus, id  
totum soli & uni Christo ascribendum est; & per Christum vocati  
sunt tam iusti quàm peccatores ad regnum Dei. Vox hæc *illuminat*  
ita potest vel debet accipi, ut vel consilium Dei significet, qui volu-  
erit, ut omnes homines per Christum illuminarentur; vel etiam de  
effectu, quatenus omnes, qui illuminantur, per eum tantum illumi-  
nantur. De effectu nihil est dubitandum. De consilio Dei memoriâ  
tenendum est illud, quòd dicitur, eum esse servatorem mundi; eum  
mortuum esse pro omnibus; eum esse propitiationem non tantum  
pro peccatis nostris, verum etiam totius mundi. Hæc enim omnia  
non nisi de Dei consilio intelligenda esse, nemo nisi præjudicata o-  
pinione fascinatus non videt.

Notandum est etiam, si hæc verba de consilio Dei, quòd ad gen-  
tes etiam pertineat, intelligantur, adhibendam esse aliquam sobriam  
interpretationem, quòd videlicet non tunc temporis Christus, cum  
docere incepit, gentes etiam illuminavit, sed tantum, quòd ad illud  
à Deo destinatus fuerit. idèd etiam D. Ioannes usus est vocabulo præ-  
sentis temporis, etiamsi dixisset, erat illa Lux vera, quæ, non ait *illu-  
minavit*, sed, quæ *illuminat* omnem hominem, quia scilicet tunc tem-  
poris, cum ista D. Ioannes scriberet, Christus etiam venire in mun-  
dum dici poterat, quatenus scilicet Apostolos suos ad prædicandum  
Evangelium mittebat.

Hinc igitur excerptenda est consolatio, quòd Deus omnes homi-  
nes velit servari, ita ut ex mente illius dici possit, Totum mundum  
esse a Christo illuminatum, & quòd, nullo habito respectu, tam im-  
pios (qui gentium vocandarum typus quidam erant) quàm pios Chri-  
stus ad se vocavit. Ignota hæc erat Dei benignitas præteritis mundi  
temporibus. Tempus erat, cum Deus omnes peccatores morte ple-  
ctebat: ethnicoes verò relinquebat perditioni. Tempus illud erat me-  
tùs, tempus servitutis: At nunc dies est salutis, nunc tempus est ac-  
ceptum; nunc annus ille Domini acceptus, ille annus Iubileus decantatur  
& proclamatur. Gaudeamus igitur omnes, qui aliquando longè a De-  
o aberamus, facti enim sumus propè per Iesum Christum.

Discamus etiam, ne ex eo, quòd Deus dicitur nostri causâ filium  
misisse, nos per eum vocasse ad salutem, eum pro nobis mortuum  
esse,

esse, concludamus, quòd re ipsa tandem absque ulla conditione simus per eum necessariò servandi. Hujusmodi enim loquendi modi non effectum significant, sed consilium & decretum Dei, quod certam semper habet conditionem sibi adjunctam. Deus vult omnes servari, sed ita ut omnes priùs eum agnoscant & eidem obediant. Hoc autem, si Deus sese revelet, penes homines est, qui si oblatam Dei gratiam respiciant, nullum effectum divinum illud decretum & consilium fortietur. Hæc de secundo: Quid sit, quòd Christus omnem hominem illuminet.

Quod ad modum attinet, quo id fiat, is explicatur his verbis: *Veniens in mundum*. Sic enim hæc verba converti posse, nemo inficiabitur. Sic autem verti debere, paulò post docebimus.

Venire in mundum, locutio est sacris literis nota, quæ significat, Munus a Deo sibi inunctum obire, & ita hominibus innotescere. Hinc Christus dicitur Lux venisse in mundum. Lux autem Christus est appellatus propter suam doctrinam. Docere autem non incepit, nisi post baptismum Ioannis. Non tunc igitur, cum Christus natus est; neque tunc, cum in mundo fuit per multos ætatis suæ annos, homines illustravit: alioquin fieri non potuisset, ut non aliqui saltem eum cognovissent, si per tot annos, nempe triginta, hominum Lux fuisset, quod tamen usquam legimus: sed tunc demum illuminare homines cœpit, cum in mundum venit, hoc est, cum munus docendi subit. *ἰσοδυναμία* autem & æquipollentia quodammodo sunt, Venire in mundum & Mitti in mundum, vel simpliciter Mitti: nisi quòd Mitti, mentem Dei & voluntatem respicit, Venire autem, missi voluntatem etiam explicat, & Missio adventus quasi causa quædam, vel antecedens, adventus verò missionis effectus quidam, vel consequens est. Hinc etiam de hominibus impiis dicitur, eos in mundum exiisse. Hinc etiam Christus manifestè distinguit suam nativitatem, ab adventu in mundum, & illam hoc priorem facit.

Vndè discendum est: Omnis Christi cognitio salutaris ab eo tempore incepit, quo homines docere incepit. Antè prædestinatione tantum Servator mundi & Lux fuit; post baptismum Ioannis re ipsa esse incepit; post ascensionem verò perfectè Servator noster effectus est.

Nec est, quòd quis nobis objiciat, Christum, cum esset duodecim annorum, in templo sedisse inter medios doctores, eosque & audisse & interrogasse, & omnes miratos fuisse ipsius intelligentiam & responsa. Longè enim hoc aliud est ab eo, quod nunc a nobis investigatur. Non protinus Lux & Servator mundi re ipsa is est, qui alios

Quid sit venire  
in mundum.

Ioan: 3. 19.  
& 12. 46.

Quomodo differant,  
Mitti, & Venire  
in mundum.

1. Ioan: 4. 1.  
Ioan: 18. 37.

Doctrina.  
Christi cognitio  
cum munere ipsius  
cœpit: Munus  
cum docere  
cœpit.

Objeçtio.

Responsio.

audit & interrogat; qui res divinas intelligit & prudenter ad interrogata respondere potest. Non intelligunt, qui ex hisce verbis colligunt, Iesum Christum tunc temporis re ipsa fuisse Servatorem, quale & quantum sit munus, Servatorem esse mundi. Et non sine causa factum est, ut totum illud, quod D. Iesus per annos illos omnes, qui ab illo duodecimo ad trigessimum usque effluerunt, fecit, nos lateret. Noluit scilicet Deus nos ex illis Christum & munus ejus metiri, sed ex iis tantum, quæ tunc, cum triginta annorum, & a Deo Spiritu illo sancto donatus esset, docuit & fecit. Itaque ferendi etiam sunt patienter & placide omnes illi, qui multa eorum, quæ sunt extra Christi munus, ad Christum pertinentia non intelligunt, si scilicet ea, quæ nos docuit, intelligant, & eidem obediant. Cum ista non ad cognitionem Iesu Christi salutarem, sed ad cognitionem tantum, quis ille, quem cognoscere necesse est, fuerit, pertineant.

Cur non fiat  
conscrip̃ta Christi  
facta, ante i-  
psius munus.

His ita absolutis, rectâ ulterius esset procedendum, nisi nobis obflarent explicationes vulgò receptæ inter Christianos super hæc verba, quarum & si nos pudeat, & pigeat etiam nos eas referre, non decet tamen eas planè silentio involvere, cum omnis adversariorum nostrorum industria in eas & inveniendas & defendendas collata sit. Quemadmodum igitur is, qui semel errare cœpit, non facilè ab errore liberatur, nisi ad ipsam viam revertatur regiam, a qua deflexerat; sic etiam nostris adversariis accidit in hoc loco explicando. Errarunt semel, idque gravissimè, dum contendunt, D. Ioannem hic describere Creationem omnium rerum, & Christum, ut autorem ejus considerare. Itaque cum legitur, eum esse illam lucem, quæ illuminat omnem hominem, dicunt, eum esse autorem Lucis, quæ omnem hominem, quandocunque nascitur, ratione illuminat. Et ut suam juvent sententiam, non *veniens in mundum* (hoc enim ad eorum opinionem nihil pertineret) sed *venientem in mundum* legunt, quasi Christus omnem hominem, qui in mundum venit, illuminet. Rursus, hanc suam versionem ita explicant, quod *venire in mundum* sit nasci in mundum. Et rursus, quia fortassis objicere aliquis posset, aut non omnem hominem illuminari ratione, cum nascitur, aut infantes non esse homines, cum certum sit, eos, quando nascuntur, ratione non illuminari; huic suæ objectioni occurrentes, cum propria umbra pugnant, & aiunt, idèd posse dici, eos etiam, scilicet infantes, illuminari ratione, quando nascuntur, quia animo sunt præditi, qui suapte natura jam tum facultate aptus est ad intelligendum ac ratiocinandum, quamvis quominus *ερεπνία*, hoc est actu, officium faciat, instrumentorum corporis

Error adversari-  
orum.

corporis infirmitas impediatur. Et insignem denique hinc consolationem peti posse contendunt, quod scilicet beneficium *Ἐλὸς* toti humano generi commune sit, ante lapsum. O insignes Theologos! Hocciné est Evangelium docere? hocciné scripta Apostolica explicare? Hiscené standum est, in rebus ad salutem pertinentibus, doctioribus? Laus Deo est & gratia, qui nos ab hisce tricus & quisquiliis liberaverit. Primum enim, quàm ineptè, quàm absurdè Illuminatio hominum appellatur illud, quod homines naturaliter insitum habent, supra v: 4. satis ostensum est. Nihil hinc dignum Apostolo, ista rudimenta, non dicam religionis, sed Physicæ cujusdam, & omnibus hominibus notissimæ scientiæ, explicare, de quibus ad nauseam usque Philosophi scripsère; nihil cum re, de qua sermo institutus est, nempe cum Evangelio, commune; nihil denique, quod conscientias nostras spectet & salutem æternam: & tamen, ut conscientias & salutem nostram consultum esset, idè tantùm sua nobis reliquere scripta Apostoli. Deinde verò tota hæc per se ridicula & elumbis explicatio, ipso errore nititur, dum scilicet verba Græca, *ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον*, vertunt, *venientem in mundum*, cùm non minùs verti possint, *veniens in mundum*. Vox enim Græca tam potest esse casus primi, & jungi cum voce Græca *ᾧς*, quàm casus quarti, & jungi cum voce *ἀνθρώπων*. Non tantùm autem posse, verùm etiam debere ea ita converti, docet primum, quod nullo loco sacratum literarum ostendi possit, *Venire in mundum*, idem valere, quod *Nasci*, vel *Nasci idem*, quod *Venire in mundum*. Quod enim ait Beza, Christum ipsum infra cap: 18. explicare hoc dicendi genus, illud summam doctissimi aliàs hominis oscitantiam pròdit. Sunt enim hæc verba infra posita: *Ego propter eam natus sum, & in mundum veni, ut testarer de Veritate*. Vnde verò scit Beza, idem esse hoc in loco, *natum esse*, & *in mundum venire*, cùm apertè distinguantur, tanquam res diversæ, quemadmodum etiam reipsa sunt? Fortassis inde, quia interdum vox *Et* non sit conjungens sed explicans? At hac regula non est abutendum, quemadmodum & hinc & alibi facit idem Beza, qui usque adèd audax fuit, ut, ubi vox ea res planè diversas conjungi docet, tanquam eadem sint, ea explicari dicat: ut cùm ait, *Dei & Agni*, idem esse, quod *Dei, id est Agni*. Sed non nisi urgente necessitate, ea utendum est. Ea autem est, cùm aliquid vel parum conveniens & absurdum, vel falsum, vel denique perniciosum sit consecuturum ex eo, si pro conjungendi voce accipiatur. Vt in locis quibusdam accidere videmus. Exempli gratia, cùm dicitur: *Spiritus sanctus in te veniet, & virtus altissimi obumbrabit tibi*; cùm falsum sit, diversum aliquid esse vir-

tutem

Refutatio

Venire in mundum, non est nasci -  
sci -  
v: 17.

Quando vox *Et*  
pro explicativa  
usurpanda.

Luc: 1, 23,

Mat. 3. 11.

Mar. 1. 8.

Ioan. 1. 33.

Ioan. 12. 46.

Cur Christus  
nativitatem ab  
adventu in mun-  
dum distinguat.

tutem altissimi, a Spiritu sancto; rectè est, quòd particula *et* pro voce explicante *id est* accipitur. Sic etiam, cum dicitur, Christum baptizaturum Spiritu sancto & igne; quia absurdum esset statuere, Christum, ut Spiritu, sic etiam Igne baptizaturum; idè commodissimè pro una & eadem re Spiritus S. & Ignis accipiuntur. præsertim, cum interdum etiam ab Apostolis, dum verba illa Ioannis recitant, ista posteriora, *et igni* omittantur. At ubi nulla talis causa subest, vel ignorantia indicium est, vel alicujus fallacia, si quis isto modo scripturas explicet. Ignorantiam hinc non esse in adversariis, docet eorum, quam in linguis habent, scientia. Fallaciam igitur esse planè statuendum est, quòd nimirum hac ratione infirmitatem suæ explanationis fulcire conati sint,

Præterea quid magis notum est, quàm Christum alibi etiam de seipso apud eundem Ioannem prædicare, se Lucem in mundum venisse, ut is, qui se audit, in tenebris non ambulet, &c. Nemo autem est, qui aulit affirmare, Christum Iesum re ipsa Lucem fuisse tunc, cum nasceretur, nisi qui nihil non audeat; cum quo nos contendere nolumus. Certum igitur esto, Christum in illis verbis Ioan: 18. duo de se prædicare: Se nimirum non tantùm, postquam natus fuisset, ad munus suum vocatum fuisse, ut alii prophetæ; verùm etiam se eo fine natum fuisse, & ante ipsam suam nativitatem ad suum munus definitum fuisse destinatum; & non tantùm ad hoc munus fuisse natum, verùm etiam certo tempore ætatis suæ ad eò certis & infallibilibus argumentis ab ipso Deo demonstratum, quòd is esset, quem Deus ad istud munus elegerat, ut illi veritati (nempe omnibus hominibus salutiferæ) testimonium perhiberet. De infantibus verò quod dicamus, nihil est ampliùs; Cum ipsa res sit demonstrata, quòd hæc verba aliter legi omninò possint & debeant. Itaque, ut aliud agendo, hoc etiam obiter attingamus, mirum est, quàm inexculpabiles illi sint, qui, cum non credant, Iesum Christum esse omnium rerum Creatorem, nec vi rationis omnem hominem illuminare, dum nascitur, verba tamen illa, *ερχόμενον εις τον κόσμον*, vertunt, *venientem in mundum*. Nihil namque vel excogitari quidem potest, quod per speciem istam versionem sustinere possit. oportet enim statuere, Christum illuminare omnem hominem, qui in mundum (nempe novum) venit. At quis unquam Novum mundum appellari audivit id, quod in hoc seculo fit? Quis verò ita unquam locutus est, eum, qui Christum recipit, & eum cognoscit, *in Mundum venire*? Cum, si modo ita loqui liceat, is, qui in mundum venit, hoc est, Christum recipit, hoc ipso illuminetur a Christo, quòd eum recipere & cognoscere potuit;



potuit; & fieri possit, ut aliquis Christum nec recipiat nec cognoscat, & tamen ab eodem, ex parte scilicet Dei, illuminetur. Sed jam nolo tempus perdere persequendo pluribus omnes errores, quos homines otiosi super hæc verba confinxere. Valeant errores: Veritas obtineat. Hanc, quia Deus nobis revelavit, amplectamur & firmiter teneamus.

## Homilia sexta.

**A**BSOLUTA igitur prima parte descriptionis muneris Iesu Christi, quæ opponitur descriptioni muneris Ioannis Baptistæ, in qua consideravimus, quomodo D. Ioannes beneficium in munere Christi contentum extollat: Pergamus nunc ad alteram partem, in qua exponit, quid illud tantum beneficium in hominibus effecerit, & quomodo ab eis receptum sit. Exponit autem duplicem effectum, qui in hominibus, ad quos Christus venit, apparuit, admodum diversum. Prior hominum ingratitude depingit; posterior quorundam gratitudinem, & eis concessam felicitatem,

Quod ad priorem attinet, ita loquitur D. Ioannes: *In mundo erat, scilicet Sermo ille, & mundus per eum factus est, & mundus eum non cognovit: Ad propria venit, & proprii eum non receperunt.* Vbi considerandum est, 1. Quomodo ingratitude istam D. Ioannes exaggeret & amplificet. 2. Qua in re ingratitude exhibitam fuisse doceat.

Ingratitude hominum illius seculi, quo Christus in mundum venit, exaggerat & amplificat duplici modo. 1. sumtus est a rebus, quæ ad Christum ipsum pertinent. 2. Ab ea re, quæ ad homines istius seculi spectat. Modus exaggerationis ingratitude hominum, qui sumtus est a rebus, quæ ad ipsum Christum pertinent, duo iterum continet: 1. est, *In mundo erat.* 2. est: *Et mundus per eum factus est.* In priori notandum est: 1. *Quid sit mundus:* & quæ vis sit vel esse possit vocabuli *erat.* Per vocabulum *Mundi* hoc in loco intelligi potest, ipsa hominum societas & frequentia, vel ipsi homines. hi enim sunt pars mundi potissima; nulla habita ratione ejus, quales sint, sive pii, sive impii. Hanc enim esse inter alias vocabuli *Mundi* significationes, unam veram, ostendunt hi loci, in quibus affirmatur, Deum ita mundum dilexisse, ut filium suum unigenitum dederit, ut omnis, qui in eum credit, non pereat, sed habe-

Mundus homi-  
nes significat.

Ioan. 3. 16.

H

at vitam

1. Ioan: 4. 14.

1. Ioan: 2. 2.

Mundus non si-  
gnificat solos e-  
lectos.Que vis vocis  
erat.

Matth: 12. 43.

Matth: 23. 37.

Prior modus  
quo mundus per  
Christum factus  
est.Facere significat  
denuò facere.  
31.

at vitam æternam; vel cùm dicitur, Christum esse Servatorem mû-  
di; vel cùm dicitur, Christum esse propitiationem pro peccatis to-  
tius mundi. Planè enim respuendi sunt illi, qui per vocabulum  
Mundi solos electos intelligi volunt: tum propter alia, tum propter  
hoc ipsum, quòd valdè absurdum sit, unum idemque vocabulu-  
m, vi hujus explanationis, duo significare posse planè sibi contra-  
ria. Certum autem est per vocem Mundi homines impios intelligi.

Vocabuli autè *erat* hæc vis esse potest, quòd Christus non tan-  
tùm semel atque iterum hominibus apparuerit, & illis ne speranti-  
bus quidem aliquid novi revelaverit, quo illi offensi fuissent, &  
propterea illud non recepissent: sed eum inter homines versatum  
fuisse, & per longum temporis spacium satis superque eis hoc in-  
culcasse, quòd eorum Servator esset, & ad eos servandos in mun-  
dum missus. Vixit enim Iesus Christus tres integros annos & am-  
plius in una tantùm regione, singulis diebus eos docens, & miracu-  
la infinita patrans, ita ut nihil amplius requiri ullo modo potuerit.  
Christus non è cœlo ad homines locutus est: Christus non semel,  
ut Ionas ad Ninivitas, venit, & mentem eis divinam exposuit: sed  
inter ipsos homines in medio populi, in loco frequentissimo, in i-  
pso templo quotidie docuit apertissimè: rem eandem millies ite-  
ravit, omnia objecta diluit, mille millenis miraculis antea nec visis  
nec auditis confirmavit. ob quam causam etiam dixit Dominus Ie-  
sus Christus: *Ecce hic plus est quàm Ionas.* & alibi: *Quoties volui, Ieru-  
salem, congregare liberos tuos, sicut gallina congregat pullos sub alas  
suas, at vos nolulistis.* Et hoc est unum illorum, quæ ipsum Christum  
spectant, quo Ioannes ingritudinem eorum, ad quos Christus  
missus fuit, exaggerat.

Alterum est: *Et mundus per eum factus est, vel fiebat.* Sic enim ex  
Græco converti potest. Quorum verborum duplex sensus esse po-  
test. Alter: quòd homines illi, quibuscum Iesus Christus conver-  
satus fuit, per eum sint effecti novus Dei populus; idque ex parte  
Dei & Christi. Alter: quòd mundus ille novus & futurus, nempe be-  
ata immortalitas per eum facta sit, quatenus scilicet annunciata,  
promissa, & spes certa per eum facta, & ipsa tandem danda est. Prior  
sensus manifestus est, si consideretur, vocabulum Facere, ut etiam  
alia similia, sæpissimè in sacris literis, more Hebræorum, accipi pro  
Reficere, vel denuò facere, ut Creare, pro denuò creare. In veteri  
Testamento exempla occurrunt non pauca: quale est illud Psal-  
100: Ipse fecit nos, & non nos ipsi. Vbi de nova factione, ut sic lo-  
quamur, sermonem esse, docet & ipse loquendi modus, docent &  
sequentia

sequentia verba. Loquendi modus est, quòd ait: Deus nos fecit, & non nos ipsi. Quid enim opus erat dicere, nos nosmetipsos non creasse, vel effecisse ut nasceremur, quasi scilicet ejusmodi cogitatio absurda in mentem alicui venire unquam potuerit? Verba verò sequentia sunt: *Nos sumus populus ejus, & oves pascuæ ejus.* Quæ aliud nihil sunt, quàm *ἐξήγησις* & explicatio quædam præcedentium: quemadmodum in Psalmis plarumque fit, ut una eademque res bis exponatur uno versiculo. *Esaiæ* autem 43. Deus ipse ait: *Omniem, qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum, formavi eum, & feci eum.* Vbi non est opus docere, voces illas omnes accipi pro nova quadam creatione, factione, & formatione, cùm per se nimis manifestum sit, Deum de ista, non autem de vetere loqui; cùm hæc tam ad eum pertineat, qui Dei nomen non invocat, quàm ad illum, qui illud invocat. In novo Fœdere locus est manifestissimus *Ephes: 2.* Ipsius enim *factura sumus, creati ad bona opera,* &c. ubi de nova factura sermonem esse, illi etiam non diffitentur, qui hoc in loco de veteri sermonem esse contendunt. Factus est igitur per Christum mundus, quia Christus omnibus hominibus viam monstravit, quâ verus & perfectus Dei populus evadere possint. promissa primùm & præcepta nova revelavit, quorum illis creditis, his observatis, homines populus Dei fiunt; deinde per Apostolos viam communem cultus divini omnibus præscripsit, & ex duobus populis unum sibi & Deo effecit.

At dicet aliquis, quomodo mundus per eum factus est isto novo modo, cùm paulò pòst dicat Ioannes, illum mundum eum non cognovisse? Respondemus, quemadmodum etiam suprà fecimus v: 9. explicantes, duplici modo dici in sacris literis aliquid fieri, quod ad salutem nostram attinet. Fit enim, dum ad effectum perducitur: fit etiam, quando Dei consilium & decretum intervenit, ut fiat, & quando per Deum vel etiam Christum non stat, quominùs ad effectum perducatur. Potuit igitur suo modo mundus per Christum fieri, hoc est renovari, licet maxima pars mundi eum non cognoverit, quia scilicet per Christum non stetit, quominùs renovaretur, & novus evaderet. Vult igitur dicere Ioannes: Considerate, quanta fuerit istorum hominum, ad quos Christus venit, ingratitude, quòd scilicet Christus non tantùm inter eos conversatus est, & voluit, ut in se crederent, verùm etiam summo eos beneficio afficere voluit, & ex parte sui affecit, dum eos viam docuit, quâ verus Dei populus evadere possent, & tamen eum non cognoverunt. Cognitus fuit Salomon, quia scilicet sapiens erat, licet ad ho-

V 7.

V 10.

Quomodo aliquid per aliquem factum dicatur, etiam si ad effectum non perveniat.

mines extraneos ipse non venerit, nec ullum ad eos ex sapientia eius beneficium redundarit: In Christo plus fuit, quàm Salomon, nec tamen quisquam fuit, qui eum reciperet. Hic est prior horum verborum sensus.

Posterior verus etiam esse similiter apparebit, si duo considerentur: Vnum est, quòd vocabulum *Mundus* quandoque mundum futurum etiam significet. Alterum, quòd id fieri per aliquem dici possit suo modo, quod re ipsa est, propterea quia is aditum alicui patefaciat ad illud, & illo aliquem donaturus sit. Vocabulum *Mundi* pro futuro mundo accipi quandoque, neminem puto negaturum. Certum enim est, voces ejusdem significationis, quales sunt *Habitata*, *δινομένην*, quod per orbem terræ explicant interpretet, futuram vitam significare. Vt exempli gratia Heb: 1. 6. ubi ait autor Epistolæ illius: *Cum autem iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: & adorent eum omnes Angeli Dei.* Per orbem terræ autem hoc in loco intelligi debere orbem futurum, præter articulum qui in Græco additus est, docet ipsa materia, de qua sermo est. Sermo autem est de tali orbe, in quem, posteaquam Christus a Deo introductus est, præceptum sit Angelis omnibus, ut eum adorent. At Christus ab Angelis omnibus adoratus prius non fuit, quàm in cælum ascenderet. Illuc enim profectus, subiecit sibi dominationes, potestates, &c. & post suam a mortuis resurrectionem demum dixit Christus, datam sibi esse omnem potestatem in cælo & in terra, & propterea, quòd Patri usque ad mortem crucis obediens fuisset, testatur D. Paulus, datum ei fuisse nomen supra omne nomen, ut in nomine ejus omne genu flectatur cœlestium. Imò statuendum est, nullum Angelorum cœlestium adorasse Christum, antequam in cœlos exaltatus fuit. cum tunc temporis minor suo modo esset Angelis, propter infirmitatem & mortalitatem suam. Præterea docet id v: 5. c: 2. ubi idem autor ait: *Non enim Angelis subiecit orbem terræ futurum, de quo loquimur.* Vnde apparet, esse mundum vel orbem terræ futurum, & hunc autorem de eo locutum antea fuisse. At in nullis verbis ab initio Epistolæ usq; ad hæc, orbis alicujus mentio facta fuerat, quàm in hoc v: 6. 1. cap: Necessè igitur est per hanc *habitaram* intelligi illum locum, in quo nunc Christus est, qui per modum loquendi ita appellatur, quemadmodum etiam *cælum* & *terra* appellatur, eodem loquendi modo. *Futurus* autem appellatur non simpliciter, est enim præsens nunc Iesu Christo, & fuit Deo ab omni tēporū æternitate: sed secundum quid, nempe respectu nostri. Quomodo etiam cælum & terra apud Petrum *Novæ* vocantur. Præter hunc locum est alius cap 10. v: 5. ubi etiam

Alter modus,  
quo mundus per  
Christum factus  
est.

Vox Mundi, fu-  
turum mundum  
aliquando signi-  
ficat.

1. Pet: 3. 22.

Match. 28. 18.  
Phil: 2. 9, 10.

Heb. 2. 7.

Cur cælum, mun-  
dus appelletur,  
2. Pet: 3. 13.  
Cur futurus mū-  
dus appelletur  
cælum.

tiam *Ἔκδοσις* vocabulum est, cùm ait: *Ideò ingrediens in mundum dicit: Sacrificia & oblationes noluisti; corpus autem aptasti mihi: Holocaustomata & pro peccato non placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio, ut faciam, ô Deus, tuam voluntatem.* Hic autem per vocabulum *Ἔκδοσις* intelligi Mundum futurum, hoc inter alia potissimùm docet, quòd manifestè ibi sermo est de isto mundo, in quem Christus ingressus, sacrificia legalia abrogavit, & noster Sacerdos summus ipse extitit, seipsum pro nobis coram Deo offerens. Hoc enim tota rerum series ostendit. Atqui Christus sacrificia legalia priùs non abrogavit, neque priùs noster summus sacerdos evasit, quàm passus est, & mortuus, & in cœlum exaltatus. Cœlum enim est id, quòd figurabatur per Sanctum sanctorum in Lege: attestante id non uno in loco hoc ipso autore, Christum ideò oportuisse per omnia fratribus assimilari, ut fieret fidelis & misericors pontifex; & eum non potuisse esse nostrum summum sacerdotem, si in terris fuisset. Deinde loquitur de tali mundo, in quem cùm Christus ingressus est, corpus ei Deus aptavit. Quòd multò rectius de illo tempore, quando Deus Iesum Christum in cœlos exaltavit, intelligi potest, quàm de eo, quando eum nasci voluit. Corpus enim Iesu Christi, quòd, dum in terris vivebat, habuit, quantumvis conceptio, & nativitas Christi essent miraculosa, nihil tamen miraculosi attulère Christi personæ vel naturæ. Fuit enim nulla alia, nec esse debuit, præter humanam; et ut nulla alia esset ejus natura, Dei consilium & nostra salus requirebat: At corpus, quòd nunc Christus habet, verè illud est, quòd Deus aptavit, perfecit, & absolutum reddidit, dum scilicet ex mortali immortale effecit, ex carneo & osseo spirituale; ut scilicet tantus Rex in tali loco constitutus, tali etiam esset corpore præditus, quale & locus ille, & ipsius gubernatio requirit. Itaque certum esto, vocabulum Mundi interdum Mundum futurum significare.

Videamus nunc, quomodo hic mundus per Christum factus sit. Hoc autem non simpliciter intelligendum est. Fuit enim ille mundus unà cum ipso Deo ab æterno: sed suo modo, quatenus scilicet nobis vel noster factus est. Illud autem totum factum est per Iesum Christum. Quòd scimus eum esse, quòd spem habemus consequendi eum, & aliquando consequemur, hoc totum soli Christo tribuendum est. Hoc modo loquendi dixit alibi Dominus: se ire in cœlum, *paratum* locum suis. Hoc planè modo dicitur infra v: 16. *veritatem & gratiam per Iesum factam esse.*

Vtrocunque autem modo hæc verba accipiantur, pertinent ad

c. 10. v. 5. Heb.

Christus quomodo Sacerdos effectus.

Heb. 1. 17.

Heb. 3. 4.

Christus nunc aliud corpus habet, quàm cùm nasceretur.

Quomodo futurus mundus per Christum factus.

Ioan. 14. 2.

exaggerandā hominū ingratitude, quòd videlicet Christus, qui in-  
 xer eos conversatus sit, tantis eos beneficiis afficere voluerit, vel affe-  
 cerit, ut majora nulla vel excogitari quidem potuerint, & tamen re-  
 ceptus ab eis non fuerit, vel, quòd vitam æternam illis patefecerit, &  
 eam ad illos pertinere docuerit, & sic eam quodammodo fecerit; vel  
 quòd homines ab imperfectiōe & ignorantia cultus divini ad perfe-  
 ctionem & cognitionem ejusdem adduxerit, & ex non populo Dei,  
 populum Dei effecerit.

Adhortatio.

Hinc petenda adhortatio ad omnes, qui verbum Dei audiunt, ut  
 eadem etiam considerent, quæ ad exaggerandam hominum ingratu-  
 tudinem pertinent. Propterea enim ista commemorantur, ut tantò  
 magis exhorrescamus ad minas divinorum suppliciorum. Iam a mul-  
 tis retrò annis habitat inter nos Iesus Christus; sonat in auribus no-  
 stris sanctissima & purissima ejus veritas; omnia plena sunt cogniti-  
 onis divinæ voluntatis; multa eaque maxima in nos contulit hæcenus  
 Deus beneficia; nobis hominibus miserimis, & præter nostrum me-  
 ritum revelavit, & promisit immortalitatem & vitam æternam; no-  
 stræ salutis curam verè paternam gerit; vulnera sanat, dona largitur,  
 consolationibus mentes erigit; nihil non facit, quod ad nos servan-  
 dum requiri potest; adèd ut verè Iesus Christus illis Dei Patris sui ver-  
 bis, quibus olim eum usum fuisse testatur Esajas: *Dijudicate vos cives  
 Hierosolymitani, quid amplius huic meæ vineæ facere debui*, uti etiam  
 nunc possit, & ita nosmet ipsos alloqui: vos incolæ regni Poloniæ, vos  
 met ipsos in testimonium voco, vos arbitros constituo, quidnam præ-  
 ter ea, quæ hæcenus feci, facere debui, quod ad salutem vestram perti-  
 neat? Obmutescemus omnes, & satis superque multa facta a Christo  
 esse ad nostram salutem pertinentia, sponte nostra confitebimur. Væ  
 igitur nobis, si nos ipsi animi nostri convincant, quòd Christus nullā  
 re nos carere voluerit, quæ ad nos servandum ex parte illius pertine-  
 ant, si talem etiam ingratitude eidem exhibeamus. Quod a nobis  
 avertat clementissimus Pater noster.

¶ 5. 3. 4.

Exaggerat etiam ingratitude hanc, quæ tunc exhibitæ fuit, a  
 re, quæ propriè ad homines istius seculi spectat, dum non tantùm ait:  
*& mundus*, scilicet in quo Christus erat, & qui per eum factus fuerat,  
*eum non cognovit*; verùm etiam addit: *In propria venit, & proprii eum  
 non receperunt*. Hoc enim loquendi modo docet, homines illos, qui  
 adèd ingrati fuerunt, causam habuisse multiplicem præ aliis homini-  
 bus, cur Christum cognoscerent, & reciperent, quia scilicet non tan-  
 tùm præter spem suam tanto a Deo beneficio affecti fuerint; verùm  
 etiam, quòd istud Dei beneficium propriè ad eos spectaverit, quòd  
 beneficium

Qui sint proprii  
 Christi.

beneficium hoc illis antiquitus promissum, quod Judaicus populus possessor istius boni fuerit, & quod denique omnes expectarint, presertim scilicet a Romanis, ut Servator eorum & Liberator veniret. Hic enim est sensus istorum verborum, *In propria venit* &c. Quo etiam sensu Apostolus Paulus ait, Christum fuisse Servum circumcisionis; & ex patribus fuisse Christum secundum carnem. Si Christus venisset ad homines Ethnicos, qui nullam Dei cognitionem, aut ullam promissionem factam de tali Servatore habebant, non usque adeo mirum fuisset, si eum spreverissent, & oblatam sibi benignitatem repudiassent: sed hos illud fecisse, & beneficium Dei aspernatos eos esse, qui illud quotidie exoptabant, hoc insignis cujusdam malitiae & perversitatis indicium fuit.

Notandum autem hic est: Quomodo mundus Christum non cognoverit, cum per eum factus sit, & non pauci eum recepisse paulo post dicatur. Quod ad illud attinet, cur mundus dicatur per Christum factus, etiam si eum non cognoverit, jam supra responsum est: quod verò ad hoc attinet, quod paulo post dicuntur eum quidam recepisse, hoc modo conciliandum est cum eo, quod Mundus eum non cognoverit: quod ea, quae de majori parte hominum vera sunt, indefinitè possint praedicari de omnibus, per synecdochen. Hoc modo conqueritur David, neminem esse qui bonum faciat; non esse usque ad unum: Hoc modo Paulus ait: *omnes sua quaerunt, nemo quae Iesu Christi sunt*. Hoc modo D. Iacobus ait: *Neminem esse qui linguam refrenet*.

Debent igitur omnes, quibuscunque Deus aliquid offert, quod ad eos spectat, gratissimo animo illud accipere. Sed dicit aliquis: quid hoc ad nos pertinet, & quomodo ex eo adhortatio aliqua ad nos peti potest: cum nos fuerimus & simus alieni ab ista gratia, quae nobis offertur, vel olim oblata est? Huic ego respondeo: alio modo, eoque multò evidentiori hoc ad nostram facere adhortationem, quod scilicet indignis nobis tanta sit exhibita beneficentia. Et quam vim olim habuit ad exaggerandam ingratitude[m] Iudaeorum, quod divinam benignitatem, quae ad eos propriè spectabat, spreverint: eandem, imò multò majorem hodie vim habet ad exaggerandum nostram erga Deum ingratitude[m], si eam exhibeamus, quod ad nos non tanquam ad suos, sed tanquam ad alienos & extraneos venerit Iesus Christus. Potuit enim fieri, ut ii, quibus promissus erat Messias, & per eum salus aeterna, excaecati quadam libidine & cupiditate rerum mundanarum, quas tunc, cum eis aeterna salus offerebatur, habebant, spernere salutem aeternam, & credere, se, quia populus Dei essent, nullo modo perire posse. Habebant (ut breviter dicam) vel habere pote-

Rom: 15. 8. 9. 10.  
& 9. 5.

Quae de majori parte vera sunt de omnibus praedicari possunt.

Psal: 52. 4.

Iacob: 1. 8.

rant quædam, quibus ita confidebant, ut se absque Iesu Christo beatos esse & fore crederent. At quid habuerunt omnes gentes, unde vel umbram felicitatis alicujus sibi promitterent? Tantò igitur magis tenentur summa cum animi gratitudine oblatam Evangelii gratiam amplecti. Quæ in re quàm prolixus & multus sit non paucis in locis D. Paulus, apertius est, quàm ut referre opus sit. Sed præterea suo modo hoc etiam hodie ad nos pertinet in eadem significatione, qua tunc temporis ad Iudæos pertinebat. Excisis enim & rejectis Iudæis, facti sunt populus Iesu Christi omnes gentes. Quæ licet re ipsa populus ejus esse desiderant, manserunt tamen hæcenus nomine & professione, & nos etiam unà cum illis, vel majores nostri. Veritas salutifera per multa retrò secula sepulta erat, & oppressa variorum commentorum humanorum tenebris; regnabat Antichristus; obtinuerunt ejus decreta & placita apud omnes; dixerat in animo suo, *Sedeo ut regina, non ero vidua, neque luctum cognoscam*; Posteaquam verò Christo visum est veritatem suam denudè in lucem proferre, pro sua paterna erga hunc suum populum perditum benignitate, non ad Iudæos eam transtulit, non ad Ethnicos, sed ad eundem suum populum venit, & eum reformare jam per multos annos summopere conatur, in quorum numero nos etiam sumus, fratres charissimi. Ad propria igitur, ad populum suum, a se cognominatum, se profitemem, Christus venit. Videte, ne ita nos erga eum geramus, quemadmodum olim Iudæi, cùm essent Proprii Iesu Christi. Consideremus omnes istum affectum Iesu Christi, quò in nobis nominatenus Christianis hæcenus convertendis usus est, quàm sit plenus amore, benevolentia, benignitate, & nos nondum a Christo rejectos esse miremur, qui Christum antea profitebamur ore, re ipsa verò planè abnegabamus. Atque hæcenus de exaggeratione ingratitude istorum hominum, ad quos Christus primùm venit, dixisse sufficiat. Quàm in re ingratitude exhibitam fuisse doceat D. Ioannes, apertè constat, dum ait: *Non cognoverunt, non receperunt.*

Non cognoscere,  
re, non recipere,  
quid?

Non cognoscere, non recipere, est, nolle cognoscere, nolle recipere, cum quis potest: ut supra dixerat, *Tenebræ lucem non comprehenderunt.* In promptu autem causa erat apparens, duplex potissimum. Prior erat, Christi, qui eam afferebat, nimia humilitas. Altera, doctrinæ, quam afferebat, perfectio & novitas. Propria autem & vera causa erat, ut paulò antè etiam diximus, animus istorum hominum, qui exæcati amore rerum mundanarum, regem terrenum sperabant, & terrenam felicitatem. Itaque cùm aliter res caderet, non cognoverunt, Iesum esse illum Christum, & doctrinam illius esse illam viam



lam viam veram salutis; ideoque etiam non receperunt, sed planè repudiârunt, aded ut Christum pro dæmoniaco, & doctrinam ejus pro falsa haberent. Tanta fuit hominum mortalium erga Deum ingratitude! Dubitare de re aliqua nova, & non statim eam recipere, in homines etiâ probos cadit, & aliquam sp̄e facit securaræ correctionis: At primo intuitu statim aliquid rejicere, deploratorum tantùm est. Tanta est hominum magnorû & principum apud homines vulgares autoritas, ut eâ perculsi, sæpenumero ea etiam recipiant, quæ falsa esse, ipsa eorum illis dicitur conscientia: At ut idem apud homines faciat divina autoritas, rarò audire est. O audaciam humanam! Praesertim quòd in tota Christi doctrina nihil omninò esset, quod aut divinæ gloriæ, aut cultui ejus obesset: imò omnia sua facta & dicta Christus ad illius unius Dei gloriam referebat, & ut homines quàm piissimi evaderent, unicè curabat. Detestemur igitur tantam hominum istius seculi nequitiam, & caveamus, ne simili exemplo delinquamus in Deum, & ejus sacrosanctum verbum. Potest enim is etiam, qui videtur sermonem Evangelicum recepisse, tamen a Deo ita dampari, ac si eum planè non recepisset, & fortassè multò graviùs; si scilicet secundùm id, quod profiteretur verum esse, vitam suam omnem dirigere summopere non annitatur. Tam enim ille non cognovit Deum & Iesum Christum, qui ei non obedit, quàm qui eum planè repudiat: nec verè ille Christum recepit, qui ejus Evangelium verum esse profiteatur, nisi re ipsa id comprobet, eidem scilicet totum se subjiciendo.

Notandum autem hîc est, quòd hîc nulla fiat mentio divini supplicii, quod irrogare decreverit, vel irrogârît istis contemtoribus Evangelii, hoc idedò proculdubio fieri, ut summa Dei justitia & æquitas, & ista nunquam satis decantata ejus *φιλανθρωπία* & *μακροθυμία* appareat, qui non ita est celer ad puniendum, sicuti est ad benefaciendum. Statim, posteaquam in sequentibus verbis dictum est, quosdam eum recepisse, additur summum, quod in eos a Christo collatum fuerit, beneficium, quòd dederit eis Christus potestatem, ut filii Dei fierent: At hîc, quantumvis dicatur, Iesum in mundo fuisse, mundum per eum factum esse, & populum Dei eos fuisse, quibus iste Servator promissus, & ad quos missus fuerat, & ab his receptum eum non fuisse, nihil tamen dicitur de pœna, quam Deus decreverit immittere illis, qui ita se gesserunt. Habuit scilicet justissimus & æquitatis studiosissimus ille Deus rationem multorum, quæ homines offendere in Christo poterant, ita ut, durantibus illis rebus in Christo, nullam eis pœnam inflixerit, hæ autem erant, Christi infirmitas & humilitas, & doctrinæ ejus perfectio, ut suprâ diximus. Hinc etiam ipse Christus

Cur Deus non  
semper immor-  
geros puniat.

pro illis, qui se crucifigebant, Deum oravit, affirmans, eos nescire quid faciant. Tunc temporis demum, eum omnia ista ablata fuere, quæ eos antea offendere poterant, quod factum est, cum Christus ex mortuis resuscitatus, omnium rerum Dominus evasis, cœpit divina eos vindicta persequi, qui respicere erant nescii. Et hoc modo intelligenda sunt omnia ista, quæ Christus variis in locis prædicit de iudiciis divinis super populum Israeliticum, & civitates ejus: quod scilicet, nisi respicerent, & in Christum crederent, tot & tanta in eos supplicia permittenda essent. Tempus autem datum fuit usque ad Christi exaltationem, quam satis multis argumentis Deus manifestare jussit omnibus Judæis. Scitè illud dictum est: Lentò gradu divina procedit vindicta: sed tarditatem supplicii gravitate compensat. Consolemur nos ista Dei longanimi patientia: sed tamen ita, ne eâ abutamur.

Valerius Maximus.

Nunc posteaquam ea exposuimus, quæ ad primum effectum pertinent, qui in hominibus, ad quos Evangelium primùm delatum est, apparuit, tempus esset pergere ad alterum etiam exponendum: Sed prius aliquid addendum est de explicatione, quam nostri adversarii super hæc verba afferunt.

Errores adversariorum,

Refutatio illorū.

Dicunt igitur, Deum, creatorem cœli & terræ, in mundo fuisse, & mundum hunc aspectabilem per eum creatum esse, & mundum eum non cognovisse; Propria etiam dicunt esse homines, quos ille creaverat. Sed cento hinc errorum est. Primùm enim, si de creatione cœli & terræ loqui voluisset D. Ioannes, aliter certè illi loquendum fuisset, ut appareret, prius sermonem illum, qui est Christus, cœlum & terram creasse, quàm in mundo esset, cum hoc prius illo fuerit: At Ioannes ita loquitur, ut appareat, illum Sermonem (de hoc enim loquitur, non autem de Luce, ut quidam existimant) prius in mundo fuisse, quàm mundus ille fieret per eum. Dicit enim: *In mundo erat, & ille mundus per eum factus est vel fiebat*, scilicet posteaquam in eo fuit. Alioquin, & dicere debuisset, & dixisset, *& mundus per eum factus erat*. Deinde si constet, vocabulum mundi significare non tantùm hunc mundum aspectabilem integrum vel univèrsam, sed sæpè etiam homines solos, & nonnunquam etiam Futurum mundum; si constet vocabulum Græcum *ἐγένετο* non æquipollere vocabulo Creare, & multa fieri posse, quæ jam creata sint, ut suprâ in explicatione v. 3. abundè demonstravimus; si denique constet, eum creatorem esse non posse, per quem aliquid fiat, præsertim ab aliquo alio; & nusquam legatur, Deum causa aliqua instrumentali in prima vel veteri creatione usum fuisse: quid, quæso, restabit de tota ista adversariorum argumenta-

gumentatione & explicatione, præter sumum? Itaque ne tempore & benevolentia vestra abuti videamur, fratres charissimi, finem nunc dicendi faciamus, & absoluto uno effectu, qui in hominibus, ad quos Christus primùm peruenit, apparuit, transeamus ad alterum.

## Homilia septima.

**I**N hoc igitur altero effectu consideranda nobis erunt potissimum duo. 1. Qualisnam gratitudo a quibusdam fuerit exhibita. 2. quanam eis felicitas contigerit.

Qualitas gratitudinis quorundam istius seculi describitur triplicimodo. Primus est: *Quotquot eum receperunt*. Christum recipere, est, eum agnoscere pro solo & unico vera salutis duce & magistro; doctrinam verdè ejus, quantumvis aliis doctrinis sit vel contraria vel ab eis diversa, pro saluberrima omnium habere & reputare. Quod quàm difficile fuerit tunc temporis, is intelligere potest, qui, quantum apud vulgus tunc valuerint non tam Pharisei, quàm Moses, considerat. In hoc enim spem suam collocarant Iudæi, teste Christo. Itaque animi candidi & probi indicium erat, si quis tunc temporis autoritate Mosis, vel etiam Legis, non patiebatur sibi oculos præstringi, quominus Christum reciperet. Hic igitur primus est gratitudinis modus, quem D. Ioannes in quibusdam istius seculi, quo Dominus in terram venit, commendat. Nostrum est, ut eadem ratione gratitudinem nostram in Deum exhibere velimus, ut Iesus Christus noster sit magister, & ejus doctrina sola authentica, & omni autoritate major.

Dicet aliquis: Quis verdè est, qui hac de re dubitet? Equidem credo, neminem esse inter nos hoc tempore, qui aliter sentiat: Sed non admodum pridem totus orbis Christianus aliter sentiebat, & nunc bona ejus pars aliter sentit. Nonne enim, ut rem latissimè patentem breviter expediam, Verbum non scriptum, Traditiones scilicet Ecclesiæ coluntur, & tantùm non præferuntur Christi præceptis & doctrinis, inter eos, qui Pontificem Romanum pro capite ecclesiæ Christi agnoscunt? univèrsam cultum, quem quotiè celebrant, dicuntne se habere ex Christi doctrina vel Apostolorum? potissimam partem eorum, in quibus ipsissimam pietatem sitam esse autumant, docentne se ex Christi vel Apostolorum doctrina decerpisse? Nonne sponte sua fatentur, imò contendunt, se hac in re sequi autoritatem ecclesiæ & doctorum? Impunè licet ea facere, quæ Christus interdixit: at vel minimum ecclesiæ placitum violare, iis in locis, ubi

Quid sit Christum recipere.

Ioann: 5. 45.

Adhortatio.

Quanam Christum non recepisse jure dici possint.

Antichristus regnat, tantum non capitale est. Hos, certum est, Christum non eo modo recepisse, quo recipi debuit. Sunt ex numero eorum, qui nuncium remisissent regi suo, nolentes, ut is eis domine-  
 tur. Sedit scilicet filius ille perditionis, homo peccati, in loco sancto, occupavit templum Dei, mentes humanas, & ita eis imperat, ut ne mutire quidem audeant adversus eum miseri homines. Apud alios, qui Pontifici Romano valedixerunt, & jugum ejus excusserunt, major quidem libertas est: sed tamen nescio quo modo denud homines ad eandem servitutem sensim recurrere videantur, dum tantum ferè apud eos valent illorum, qui ipsis præsunt in Evangelio, dogmata, vel explicationes, quantum ipsa sacra scriptura, adeo, ut piaculum sit aliquid affirmare, quod Luthero, Calvino, & aliis non arrideat, & ab eis non approbetur, quamvis id probetur & demonstratur a peritissimis sacrarum literarum testimoniis, vel rationibus ex eis petitis. Laus igitur sit Deo nostro, qui nos ab ista servitute pro sua ingenti misericordia liberavit, & docuit, in nullius hominis verba jurandum esse, præterquam Christi & Apostolorum. de qua felicitate gratulamur etiam omnibus ecclesiis, quæ, Dei gratiâ, plus aliis hac in re sapere hisce temporibus cœperunt.

Quantum tribu-  
 endum Ecclesiæ  
 Doctoribus.

Magna quidem apud nos est omnium doctorum, quos per singula secula, ab initio usque ad nostra tempora, ecclesia habuit & habet, autoritas; nec ii sumus, qui omnes spernamus, & omnia, quæcunque non sunt a Christo & Apostolis pronunciata. Absit a nobis tanta vel impudentia vel audacia. Habuit enim Deus semper inter suos quosdam, tanquam lumina quædam, qui præ aliis lucebant rerum divinarum pericia, & vitæ sanctitate. Habuerunt proculdubio singula secula suos quasi primarios viros, per quos Deus ecclesiæ Iesu Christi multa egregia & salutaria revelavit, & in eorum cognitione alios conservavit; fuerunt, qui perpetuè ecclesiam, quamdiu scilicet duravit, tanquam fideles custodes curarent, ne a via veritatis deficeret. Sunt etiam nuntiales, per quos Deus & aliis & nobis revelavit sua mysteria. Sit sua laus istis antiquioribus patribus: sit sua recentioribus: sit sua nostri temporis divinis Viris. Agnoscat ex eo, quam sit Deo chara Christi ecclesia, & quam sollicitam ejus per tales viros curam gerat: Sed sit modus in rebus. Non protinus in eodem folio collocandus est servus cum Domino; nec agnosendus pro unico magistro salutis is, quem Deus donis suis exornatum esse voluit: sed omnium istorum virorum dogmata, explicationes, sententias examinemus ad normam doctrinæ Iesu Christi & Apostolorum: si quid dicant, si quid doceant, quod cum ea conveniat, & ei consentaneum sit, agnosca-

agnoscamus in eis divinum spiritum, qui ista revelat; ex osculemur & eos, & ista, quæ nobis afferunt: si verò iidem aliquid dicant vel doceant, quod cum doctrina Christi & Apostolorum non conveniat, cogitemus, eos nec Apostolos esse, nec magistros perfectos, sed homines erroribus subjectos: ea, quæ rectè ab eis docentur, recipiamus; reliqua probeamus, & cogitemus, non omnibus data esse omnia. In antiquioribus doctoribus, si rem habeant vel cum extraneis gentibus, vel cum Iudæis, vel cum aliis, qui Christi religionem pessundare cogitabant, cogitemus, eos veritatē Christianæ religionis satis cordatè afferuisse, & de quibusdam articulis ejusdē religionis rectius sensitse, quàm pleriq; eorum, quibuscū rem habebant, & ad versus quos scripta edebant: interim verò cogitemus, etiam eos incidisse in tempora jam corrupta, & in doctrinam Christi violatam & obscuratam tenebris, quæ offundi veritati, tempore etiam Apostolorū, cœperant, cū scilicet mysteriū illud iniquitatis jam operaretur, cū jam multi essent Antichristi, lupi graves, qui gregi Domini non pepercerūt; ideoq;, quemadmodum veritatem non integram & sartam tectam a majoribus acceperant: sic etiam integram defendere non poterant: sed eam partem, quæ tradita illis fuerat, pro sua virili defenderunt. Rursus de recentioribus cogitemus, eos bonam gratiam iniisse, & operam suam optimè collocasse, dum multa & varia commenta, quæ a multis retrò seculis ab hominibus pro sacrosanctis mysteriis habebantur, detexerunt, & grato ea omnia animo accipiamus: Interim verò cogitemus, etiam eos in multis, quæ amplius scienda erant, gravissimè errare potuisse: non quidem ullā animi malitiā, propter quod etiam pro veris Iesu Christi ecclesiæ membris, imò doctoribus agnoscendi sunt, imò amandi & colendi: sed quia Deus pro sua ingenti benignitate & sapientia singulis seculis sua reservârit beneficia, ut multi essent unum animis; per multos voluit lucem divinæ suæ veritati afferri, & eam denud illustrari: ut homines apti essent ad omnia recipienda, quæ Deus esset revelaturus, noluit eos multitudine rerum semel obruere, sed sensim eos ex densissimis tenebris ad crepusculum quoddam diei adducere, hinc ad lucem Luciferi, donec tandem splendidissimus Sol omnibus illucesceret. Ita nos geramus in recipiendis aliis, fratres charissimi, tales Deo nos probeamus & Iesu Christo, & nunquam errabimus. Valeant omnia, valeant omnes: solus Iesus Christus, sola doctrina Evangelica absolutè obtineat. Et quia hæcenus nemo apud nos valet, nisi solus Iesus Christus, & ejus sanctissima doctrina, gaudeamus hac nostra felicitate, & primè etiam in hoc modo nos gratitudinem nostram Deo probasse, certò

Quid sentiendū  
de veteribus Do-  
ctoribus.

Quid de recentioribus.

persuasum habeamus. Recepimus Iesum Christum, & eidem adherere ad finem usque vitæ nostræ constanter cogitamus.

Videamus nunc secundum modum, quem describit D. Ioannes, ex quo gratitudo quorundam tunc temporis apparuit. Is autem continetur his verbis: *Credentibus in nomen ejus*. Qui modus isto primo multò præstantior est. Potest enim aliquis recipere aliquem, tanquam magistrum veracem, & doctrinam ejus pro verissima agnoscere, & tamen in ejus nomen non credere; imò fieri posset, ut illud facere teneretur, hoc verò facere nullo modo ei liceret: quemadmodum exemplum Moïsis ostendere potest. Eum enim pro duce vero agnoscere, & ejus doctrinam pro verissima recipere tenebantur omnes Israelitæ: at in ejus nomen credere iidem non tenebantur: præsertim si benè intelligatur, quid sit *in alicujus nomen credere*. Quod quid sit, jam videamus. Primum igitur notandum est, *in nomen alicujus credere*, idem esse, quòd *in aliquem credere*. loquendi modo Hebraico: ut etiam *petere in alicujus nomine*, idem est, quod *aliquem petere*. Deindè credere in alicujus nomen, vel in aliquem, sciendum est, significare fiduciam in aliquo collocare. Hinc de nemine unquam legitur, quòd aliquis in eum crediderit, præterquam de solo illo uno Deo. De reliquis omnibus legitur, quòd homines illis crediderint, hoc est, fidem dictis eorum adhibuerint; vel, si quid tale legitur, quòd homines in illis confisi sint, vel speraverint, vel credere in illis & sperare debuerint, tunc totum hoc referendum est ad ea, quæ ipsi docuère, non autem ad ipsorum personas ullo modo. Hoc enim fuisse idololatricæ fundamenta jacere, spem suam collocare in eo, de quo certò constabat, eum mortuum esse, & nullo modo apparebat. Deum ei divinum aliquem honorem post ipsam mortem dedisse. Soli Iesu Christo ista res competit: de hoc solo legitur, quòd ab hominibus ipse requisierit, ut in se crederent; de hoc solo testantur Apostoli, homines teneri in eum credere, & multos in eum credidisse; & fidem in eo collocatam, salutis æternæ, divinæ gratiæ, causam esse. Quo igitur modo fidem in ipsum Deum describimus, eodem etiam fides in Christum, quoad naturam & substantiam ejus, nobis describenda est, nimirum, ut omnem nostram fiduciam colloceamus in Iesu Christo; & ut eo modo Deo obedire velimus, quo nos ei obedire præcepit Iesus Christus. Ad fiduciam talem in Christo collocandam & ad obedientiam talem eidem præstandam, requiritur non tantùm, scire, eum esse hominem veracem; verùm etiam cognitissimum habere, eum nunc & perpetuè divina in omnes homines potestate præditum esse. Hoc enim unicum est, quod efficere potest, ut quis omnem

In nomen alicujus credere, & in aliquem credere, idem est.

Quid sit credere in aliquem,

mnem suam in aliquo fiduciam collocet. Ad hanc igitur divinam potestatem, oportet scire, Iesum Christum pervenisse; cum certò sciamus, eum hominem fuisse, eumque infirmum & mortalem, imò mortuum: nempe eum a Deo esse ex mortuis resuscitatum, & supra omnes cœlos exaltatum, & ita a dextris Dei collocatum. Hujusdivinæ potestatis, quæ in Christo agnoscenda est, agnoscenda sunt etiam effecta quædam eam consequentia, nempe ejus adoratio & invocatio, quarum illa Iesu Christo necessariò debetur, hæc verò semper & ubique tribui potest: ita ut, quicumque non credit, Iesum ex mortuis resuscitatum, in cœlum ascendisse, & eundem nunc divino a nobis honore coli posse & debere, non sit pro eo agnoscendus & habendus, qui in Christum verè credat, atque inter veros Christianos numerandus. Oportet certissimò statuere, Iesum Christum, qui ex mortuis revixit, & in cœlum ascendit, nunc ita vivere, ut absolutam in omnes in se credentes potestatem habeat, & non aliter atque ipse Deus eos in omnibus tam ad animam quàm ad corpus spectantibus necessitatibus juvare possit. Committenda est ei vita nostra, anima nostra, corpus nostrum regendū, & gubernandum. Vbiq̄ue locorum, & perpetuò nomen illius sanctè colendum; ad omnia & singula ejus præcepta contremiscendum; nihil neque in abditissimis cogitationibus nobis ipsis concedendum est, quod ejus doctrinæ vel tantillum adversetur. Hoc est in Iesum Christum credere & ei confidere. Deinde diligentissimè inquirendum est, quid ille præceperit, quidvè prohibuerit, certò persuasi, eum multò plura & prohibuisse & præcepisse, quàm Lex Mosaiica; & proinde isto modo vita omnis instituenda est, quæ Iesus Christò præscripsit. Hic jam, charissimi in Domino, duplex animus subit cogitatio. Nam prius illud, quod ad fiduciam in Christo collocandam pertinet, datum vobis omnibus esse tam sum persuasus, quàm me nunc vivere. Remotis enim omnibus humanis commentis, revelavit hoc vobis Deus, quòd & quomodo vera fides collocanda sit in Iesu Christo. Non pudet nos, Dei beneficio, in eo omnem fiduciam collocare, quem aliquando infirmum & mortalem fuisse credimus; liberati sumus & ab omnium eorum errore, qui in Iesum Christum propterea credunt, quia Deus sit ille unus, non credituri in eum, nisi talis esset; & ab istorum impietate, qui, quia Iesum Christum Deum illum unum non esse didicerant, fidem etiam in eo collocandam non esse, alios docere cœperunt. Medià viâ hac in re incedimus, & ita, ut Deus a nobis vult, fidem nostram in Christo fundatam habemus, divinam ei potestatem attribuimus, divino eum honore afficiamus, adoramus & invocamus. Sed

de altero

Fidei in Christum  
effecta, adoratio  
& invocatio.

de altero illo nescio quid affirmare debeam. Est quod laudemus; est etiam quod vituperemus. Laudandum est hoc, & gratia pro eo Deo agenda, quòd nostris cœtibus (ut nos quidem sentimus) omnia ea satis superque revelavit, quæ ad præcepta Iesu Christi, quàm latè scilicet pateant, pertinent: Sed maximè vituperandum est, quòd nemo ferè sit, qui ea discere & cognoscere velit. Antea cum docebamur de abjiciendis erroribus, & recipienda vera sententia, multi erant, qui, singulari quodam fervore rapti, totos se dedebant ei investiganda: At nunc, cum de præceptis Iesu Christi rectè intelligendis laboratur, bone Deus, quàm sumus desides. Intelleximus scilicet, facilis esse ea tractare, quæ mentem tantùm illustrant, interim nos nostri juris esse sinunt: at nunc, cùm intelligimus, nosmet ipsos peti & nostras cupiditates, & nos illis exui & spoliari, retrò cedimus, & cunctabundi ad tam sanctum opus accingimur. O nos miseros, qui non intelligamus nostram felicitatem, & ipsi nobis obsimus! Vult nos Deus pater noster privare nostris cupiditatibus, quibus antea delectabamur, interim vult nobis donare suam gloriam & voluptates nunquam finiendas: nos verò malumus illa æterna bona cum his temporaneis commutare. Redeamus ad nos, recolligamus nos ipsos, & optimè nobiscum agi credamus, quòd idem Deus pater noster, qui mentes nostras cognitione veritatis hæcenus illustravit, voluntatem etiam nostram & omnes actiones ita reformare velit, ut indies ad vitam illam sempiternam simus aptiores. Teneamus eam partem fidei in Christum, quam habemus: ad alteram, quam nobis Deus offert, aspiremus, & ita bene nobis & saluti nostræ consulamus, consecuti scilicet alterum illum modum, quo gratitudinem nostram Deo probemus.

Sed nunc, antequam ulterius progrediamur ad tertium modum, operæpretium est duo verba addere, quibus occurratur quorundam errori. Nam de istorum impietate, qui negant, nunc fidem esse in Christo collocandam, non est opus plura dicere, cùm se ipsos ipsi prodant, quòd Christi hostes sint, dum ita loquuntur. Errori autem occurramus, qui est, quòd ex eo, quòd teneamur in Christum credere, concluditur hodie a Christianis, eum esse unum illum Deum. quia scilicet persuasum habent, nemini competere Fidem, nisi uni Deo; & in homine eam non esse collocandam contendunt, abusi verbis prophetæ Jeremiæ, qui dicit: *Maledictus qui confidit in homine.* Paucissimis autem nos expediamus. nam & suprâ eade re dictū fuit. Negamus igitur, consequi ex eo, quòd in Christum credimus, eum esse unum illum Deum; idque propter hanc potissimùm causam, quòd ea fides,

quæ in

Facilior est mentis illustratio, quàm voluntatis reformatio.

De loco Jer. 17. 5.



quæ in Christo collocatur, in ipso Christo non requiescit, vel finitur, sed in Deo Patre terminatur, qui eum misit. Is est ultimus fidei nostræ terminus. Sic enim legimus ipsum D. Iesum Christum clara & elata voce dixisse: *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui me misit.* Et D. Petrus testatur, nos credere in Deum per Christum, dum ait: *Credentes per Christum in Deum, qui eum ex mortuis resuscitavit, & dedit ei gloriam, ut fides & spes nostra esset in Deo.* At nemo est, qui dicere audeat, nos, dum in Deum credimus, in Deum non credere, sed in alium; vel nos per Deum in aliquem alium credere. Facit igitur hæc diversitas & differentia Fidei, quæ Christo debetur, & quæ Deo, ut etiam diversus sit Christus ab illo Deo. Credere autem per aliquem in Deum, nihil absurdi in se continere, jam probatum est apertissimis sacrarum literarum testimoniis. Quod verò ad verba prophetæ Ieremiæ attinet; committitur primùm citatione illorum ad hunc modum fallacia nimis manifesta, quòd, quæ de diverso tempore dicta sunt, ad unum tempus referantur; ac peccatur in istam Theologorum regulam: Distingue tempora, & conciliabis scripturas. Tempus erat, quando in homine confidere nefas erat, cùm scilicet neminem omnium Deus ille unus & summus divino in omnes homines, & omnia, quæ sunt, imperio donasset, Tunc igitur simplicissimè verba prophetæ robur habebant: At nunc, cùm certò constat, quòd Deus ille unus Iesum Christum hominem ex mortuis resuscitavit, gloriam ei, iudicium & gubernationem Ecclesiæ absolutam dedit, non decet, hæc tam clara testimonia obscurare velle dicto Ieremiæ: sed potius verbis Ieremiæ sensus sobrius quærendus est, ita ut secundùm hæc, quæ Deus in novo Fœdere fecit & patefecit, intelligantur. Est enim, ut in hac particula, sic etiam in aliis semper vetus Testamentum secundùm novi Fœderis mentem intelligendum, & illud ad hoc accommodandum, ut potè obscurius ad apertius. Cùm igitur audis & legis, Deum filium suum tantopere exaltasse, tam certò fides huiusmodi verbis adhibenda est, ut nulla ratione vel minimum tibi scrupulum injici patiaris. Et si fortasse aliquid contrarium ei, quod apertè testantur sacræ literæ novi Fœderis, alicubi apud Prophetas, vel in Lege reperitur, hæc protinus mentem tuam subeat cogitatio: Alia sub veteri Fœdere fuere tempora, alia rerum divinarum & ad cultum divinum pertinentiù facies. oportet igitur, ut, salva autoritate novi Fœderis, inquiram in aliquem sobrium sensum, quem verba prophetæ admittere possint: non verò, ut hodie perperam fit, salva autoritate prophetarum, inquirendus est sensus aliquis, qui verbis manifestissimis

Fides nostra in Christo non terminatur.

Ioan: 12. 44.

1. Pet: 1. 21.

Prophetarum verba secundùm verba Apostolorum intelligenda.

Quatenus non  
confidendum ho-  
mini.

Iesu Christi & Apostolorum affingatur. Hoc enim esset Soli præferre candelam. Deinde alia etiam in illis verbis fallacia, quod nimirum id, quod propheta Ieremias certo respectu dixit, ita accipitur, & ad rem propositam pertrahitur, ac si simpliciter & absque omni respectu dictum esset. Non enim simpliciter dicit Ieremias: *Maledictus qui confidit in homine.* hoc enim semper licuit, quando scilicet homo ille divinus fuit, & Deus voluit, ut in eo homines confiderent, quemadmodum id de Mose & aliis prophetis legitur: sed cum additione hac duplici: *i. Et qui ponit brachium suum carnem,* hoc est, qui rem infirmam & mortalem habet pro suo robore & auxilio. Et quia hoc etiam nondum satis erat ad maledictum aliquem efficiendum, cum ob certas causas, in quibusdam rebus possit homo etiam mortali homini confidere, & suam in eo fiduciam collocare, si scilicet Deum illi rei, infirmæ aliàs & mortali, dedisse omne auxilium, quo ego juvari debeam, constet; addit præterea propheta alterum hoc: *Et cor ejus recedit a Deo.* Ita ut tunc demum homo sit maledictus, cum in homine confidit, quod eum, qui caro est, agnoscit pro suo summo defensore, idque ita, ut a Deo deficiat, & animum suum ad carnem convertat, quæ summa esset idololatria, & omnium scelerum scelestissimum. Atqui nos, qui confidimus Iesu Christo homini, non eatenus ei confidimus, quatenus homo est, & caro fuit, hoc est, mortalis & infirmus, sed quatenus & quia est a Deo divina potestate donatus, quâ potest nobis succurrere in omnibus adversis rebus; & ei confidendo tantum abest, ut a Deo deficiamus, vel corda nostra a Deo recedant, ut potius nullo alio modo ad Deum accedere hodie detur, quàm isto, si quis in Christum credat. Pudeat igitur omnes, qui nobis ista objiciunt, ipsorum summæ ignorantia, qui non intelligant, hanc esse proprietatem Fidei Christiana, credere non tantum in Deum, verum etiam in hominem Iesum Christum, ita tamen, ut omnis ista fides in Deum tendat, & in eo finiatur. Nos verò, charissimi in Domino, firmiter teneamus hæc augustissimam veritatem, & in Christum credere pergamus isto modo, quem Deus nobis præcepit, certò persuasum habentes, eam fidem nobis cessuram in nostram summam utilitatem, & animarum nostrarum salutem. Sed nunc tempus est, absoluto hoc altero modo, quo gratitudinem quorundam, qui isto seculo, quo Christus in mundum venit, vixerunt, describit D. Ioannes, ad alia pergere.

Tertius modus restat, qui est: *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate Viri, sed ex Deo nati sunt.* Quibus verbis id describitur, quod in hominibus esse potest, omnium Deo  
acce-

acceptissimum & perfectissimum, nempe Regeneratio & reformatio voluntatis ipsorum, & omnium actionum. Quam regenerationem illustrat D. Ioannes antithesi generationis carnalis. Videamus igitur 1. causam, quare generationem carnalem tot verbis hinc describat: 2. Cur regenerationem nostram, nativitatem ex Deo appellet. Generationis carnalis mentionem facit, idque tot verbis, ut supercilium eorum, qui carnali generationi plurimum confidebant, retundat, eosque doceat, nihil se planè adjumenti ex ea habere ad consequendam vitam æternam. Illi autem erant Iudæi. Hi enim propterea, quia ex Abrahamo nati erant, credebant sibi deberi vitam æternam, & nullo modo se eâ privari posse aut debere, quantumvis Iesum Christum rejicerent. Hinc etiam Ioannes Baptista, illi eorum opinioni occurrens, dum eos ad veram pœnitentiam exhortatur, dicit: *Neq; cogitetis dicere in vobis ipsis: Patrem habemus Abrahamum. Dico enim vobis, posse Deum ex his lapidibus facere filios Abrahamæ.* Hinc etiam ista tam audax eorum ad Christi verba, quibus eis, si in se crederent, & in sermone suo manerent, libertatem promittebat, objectio: *semen abrahæ sumus, & nemini unquam servivimus, & quomodo tu dicis, quòd liberi erimus?* Ioannes igitur, ut eos reprimat, & doceat, nihil valere coram Deo istam generationem, quodammodo eam elevat, dum eam ex sanguinibus, ex voluntate carnis, & ex voluntate viri esse affirmat, ac si ita dicturus esset: Tribuant Iudæi, quantum velint, illi suæ generationi carnali: tota tamen ista generatio causas alias non habet, quàm sanguinem vel sanguines hominum, qui illum ad eam generationem conferunt; totum illud, ex Abrahamo natum esse, pendet a voluntate & cupiditate carnis, & a cupiditate Viri. Quæ verò potest esse tanta in eo præstantia, quod tam misera & imperfecta habet principia & causas? Sanguis, qualiscunque tandem sit hominis, sanguis tamen est; & ex quocunque tandem aliquis nascatur vel natus sit homine, totum illud a re infirmissima & vilissima profectum est. Itaque non est, quod quis huic rei confidat, & propterea in negotio Evangelii aliquid sibi vendicet, quòd isto modo natus sit.

Ex qua horum verborum explicatione adhortatio decerpi potest, ad deprimendos etiam animos hominum elatorum, qui propter quasdam carnales præminentias, credunt se majoris esse apud Deum valoris, quàm alios, qui illis præminentias carent, interim tamen verâ in Deum fide præditi sunt. Miseri certè hoc ipsi, quòd ita sentiunt. Notâda enim præterea sunt divina illa Christi verba: *Quod ex carne natum est, caro est:* & illud Pauli: *Caro & sanguis*

Matth: 3. 9.

Ioan: 8. 31.

Generationis  
carnalis vilitas.

Adhortatio.

Ioan: 15. 6.

1. Cor: 15. 50.

*gravis regnum Dei hereditare non possunt.* Ad consequendam veram felicitatem omnis carnalis præstantia non tantum nihil valet, verum etiam plurimum obest, ut præter testimonia sacrarum literarum, ipsa, proh dolor, docet experientia. Meminerimus nos, etiam si ex ipsis regibus nati essemus, natos tamen idcirco esse non ex Deo, sed ex sanguine, sed ex voluntate carnis, sed ex voluntate viri, & protinus agnosceremus istius generationis summam imperfectionem.

Hoc ita finito, transeamus ad alterum: Cur nostram Regenerationem D. Ioannes isto modo describat: *natum ex Deo esse.* Phrasis hæc est D. Ioanni propria, quâ non semel etiam in Epistola sua prima utitur; quam infra cap: 3. aliis verbis expressit in colloquio Iesu Christi cum Nicodemo, nempe per nativitatem iteratam, vel nativitatem ex aqua & Spiritu. Simul igitur ista etiam explicabimus. Cur Regeneratio nostra describatur per *denuo nasci*, facile est intelligere, quod scilicet talem nostri mutationem requirat a nobis Deus, ac si novi essemus homines, & alio modo nati, quam antea. Quando verò eandem regenerationem describit sacra scriptura, per *nasci ex aqua & Spiritu*, causas indicat, quæ istam regenerationem in nobis efficere possunt. Istæ autem sunt, Aqua spiritualis, quæ est verbum Iesu Christi, & promissa divinissima, pretiosissima, & maxima, in eo cõtenta. Quamprimùm enim homo, quantumvis antea fuerit perditus, gustaverit istorum promissorum certitudinem & præstantiam, statim totus, quantus quantus est, mutabitur, & aliam vivendi rationem inire cogitabit, cum audiat, se absque ista nova vivendi ratione promissa ista tam magnifica consequi non posse. Quamdiu etiam aliquis mente sua tenet istorum tantorum promissorum tantam certitudinem, nunquam ab ista vivendi ratione abstrahi se ullis carnis suæ cupiditatibus patietur, sed constantissimè Deo obedire perseverabit. Sic enim loquitur idem Ioannes: *Omnis natus ex Deo, peccatum non facit: Quoniam semen ipsius (Dei) in eo manet.* Semen autem Dei sunt promissa Evangelii teste D. Petro, *Regenerati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per verbum Dei vivum & permanens in æternum.* Per aquam autem & spiritum unum & idem significari, alibi a nobis demonstratum est. Appellari porrò quandoque promissa divina, vel sermonem Dei, Aquam, loquendi modo Metaphorico, neminem puto negaturum, qui literarum sacrarum loquendi modos vel primis degustavit labris. Vide autem Ephes: 5:26. & Heb: 10:22. Tandem verò isto modo describitur etiam nostra regeneratio, quod sit, *ex Deo natum*

Regeneratio cuius  
nativitas appel-  
latur.

Quæ causæ rege-  
nerationis,

1. Ioan: 3. 9.

1. Pet. 1. 23.  
Aqua & Spiritus  
idem sunt Ioan: 3.

Regeneratio cuius  
nativitas ex Deo  
appellatur.

rum esse, ut perfectio istius mutationis nostri & omnium nostrarum actionum, quam in nobis efficere debent promissa Evangelii, nobis ob oculos ponatur. Eatenus scilicet in ista piè vivendi ratione progrediendum est, ut aliquam cum ipso Deo consequamur similitudinem, ac si ex ipso nati essemus. Ob quam etiam causam, cum nos ipse D. Iesus & Apostoli ad istam regenerationem vel generaliter, vel speciatim cohortantur, hisce verbis utuntur: *Estote perfecti, ut pater vester, qui (est) in cælis, perfectus est. Estote misericordes, ut Pater vester, qui (est) in cælis misericors est. Estote imitatores Dei, ut filii dilecti. Estote sancti, secundum eum, qui vos vocavit. Qui habet hanc spem in eo (Deo) purificat seipsum, sicut ipse purus est, &c.*

Matth: 5. 48.

Luc: 6. 36.

Ephes: 5. 1.

1. Pet: 1. 15.

1. Ioan: 3. 3:

Adhortatio.

Hic igitur arrigendæ aures, huc convertendæ pectora; in hoc omnibus incumbendum viribus, ut hoc modo nostram Deo probeamus animi gratitudinem, si isto modo piè coram eo vivere in animū inducamus, & reipsā vivamus, ut aliqua inter nos & illum perfectissimum Deum appareat similitudo. Odit Deus noster omnia peccata: discamus etiam nos ea odisse omnia. Delectatur Deus noster omni iusticia & rectè factis: discamus etiam nos iisdem delectari. Benignus est Deus noster in omnes: discamus etiam nos in omnes esse benigni. Singularissimam nobis exhibuit Deus charitatem, dum pro nobis filium suum in mortem tradidit: discamus etiam nos pro fratribus omnia, quæ habemus, si ita opus sit, expendere. Longanimis est, iustus est, verax est Deus noster: discamus etiam nos, iisdem virtutibus ejus esse quàm simillimi. Non requiritur enim, ut hoc addam, per hujusmodi loquendi modosa nobis, paritas sanctitatis, quæ in Deo est, nec etiam omnis similitudo: sed tantum ea, quæ nos ex Deo natos esse; & verè fidem promissis ipsius habere, ostendere possit. O quanta hominum Christianorum, si verè pietati studeant, præstantia, quòd ex Deo nati esse, propter hoc ipsum, quòd piè vivunt, dicuntur! Quis non cuperet pro eo haberi, qui ex Deo natus sit? En habes viam ad eam felicitatem obviam: crede in Christum & stude veræ pietati, & poteris gloriari tanta felicitate. Sed rursus, quàm perfecta est nostra obedientia, quæ nisi nos Deo similes aliquo modo faciat, nulla est coram Deo ad nos iustificandum! *Coniuncta sunt, difficultas & pulchritudo, ut in aliis rebus, sic maxime in hac. Ὁσκολα τὰ καλὰ.* Difficilia sunt, quæ pulchra sunt. Sed Dei causâ difficillima fecisse, summa voluptas est, & esse debet. Quæ cum vobis omnibus commendatissima fore certò mihi persuadeam, jam finita hac prima orationis nostræ parte, in qua descriptionem habuimus gratitudinis hominum quorundam, ad quos Christus pervenit, nunc ad alteram trans-

eamus, in qua considerandum est: Quanam illis hominibus contigerit felicitas.

Id autem his verbis docet D. Ioannes, dum ait: *Dedit eis potestatem, ut filii Dei fierent.* Vbi describit felicitatis istius, ut mos est Apostolis, tum præstantiam, tum certitudinem.

Duplex modus  
filiationis.

Præstantia est, *Filios Dei fieri*: quod quid sit, ut rectè intelligatur, notandum est, ex mente sacrarum literarum novi fœderis, duplici modo homines filios Dei fieri. Alter reformationem mentis atque omnium actionum respicit, alter mutationem naturæ. De priori modo nullum credimus apud quenquam esse dubium. Loci enim, qui non pauci sunt in sacris literis, in quibus dicitur, homines esse Dei filios, de ista filiatione plarique intelligendi sunt; idque idèd, quòd accedente verbo divino, vel promissis Evangelii, homines mentem & voluntatem suam, adeoque semetipsos mutarint, & planè alii facti sint, qua de re paulò antè aliquid dictum est. De posteriori verò, quia non ita omnibus obvius est, aliquid dicemus. Certum est, hominem, qui naturâ mortalis est, propter similitudinem, quam cum Deo habet, filium ejus dici & esse. At nulla res est, quæ hominem Deo similiorem faciat, quam immortalitas, & mutatio ipsius naturæ: quemadmodum nihil est, quo magis differat a Deo homo, quàm ipsius hominis mortalitas. Si igitur propter mutationem mentis & voluntatis (manente tamen naturâ eadem) potest homo dici & esse filius Dei; quantò magis filius Dei dici poterit & erit tunc, cum totus, quantus quantus est, mutabitur? Quantumvis enim aliquis mutatam habeat mentem & voluntatem suam, morti tamen obnoxius est; & illud totum, propter quod filius Dei erat, amittere potest. quod utrumque, quàm non correspondeat perfectæ filiationi Dei, neminem credimus non videre: At, qui semel immortalis evaserit, is talis in perpetuum futurus est, nec metuendum ei erit, ut aliquando ista felicitate privetur. Propterea de ipso Iesu Christo domino nostro, qui ab ipso conceptionis & nativitatis puncto filius Dei fuerat, teste angelo, qui dixit: *ideoque* (quia scilicet Spiritus sanctus super te veniet, & virtus Altissimi obumbrabit tibi) *etiam sanctum, quod ex te nascetur, filius Dei vocabitur*, tunc temporis eum a Deo genitum esse, dicitur, cum eum Deus ex mortuis resuscitavit, & supra omnes cœlos exaltavit. Manifestum enim est, quòd illa verba Psalmi 2. *Tu es meus filius, ego hodie genui te*, in quibus de divina filiatione Iesu Christi sermo est, D. Paulus, & auctor Epistolæ ad Hebræos, ille ad resurrectionem, hic ad Christi glorificationem accommodet, vel potius, quòd ea tunc temporis impleta fuerint, cum Deus Iesum Christum ex mortuis resuscita-

Act: 13. 33.  
Hebr: 5. 5.

scitavit & glorificavit, uterque affirmet & demonstret. Hinc etiam tempus illud, quod alibi resurrectionis iustorum appellatur, *παραγενεσία* hoc est Regeneratio appellatur ab ipso Christo, dum ait: *Amē dico vobis, quod vos, qui me secuti estis, in regeneratione cum sederit filius hominis in throno gloriae suae, sedebitis & vos super duodecim thronos, judicantes duodecim tribus Israël.* In hoc enim loco, ea verba, in regeneratione, cum sequentibus, non verò cum praecedentibus coniungenda esse, ita ut Christus in illis describat, non modum, quo se Apostoli secuti erant, sed tempus, quando sessuri sint super thronos, & iudicaturi duodecim tribus Israël, nempe in initio futurae vitae, colligi primum ex eo potest, quod ad verba illa, *qui me secuti estis*, admodum inconcinne pertrahantur. Cum nullus alius modus sit imitandi Christum vel eum sequendi, qui nos Deo commendare possit, quam pie vivere, quod esset sequi Christum in regeneratione. Alius eum sequendi modus, si quis est, nullius est coram Deo valoris vel momenti. Deinde nimis videretur Christus tunc tribuisse suis Apostolis, si dixisset, illos se secutos esse in regeneratione. Nam tunc temporis vix adhuc extabant ea, quae ad regenerationem in hominibus efficiendam necessaria sunt, & satis longè ab ea aberant Apostoli. Longè autem aliud esse probum & candidum, & Christo fidem habere, & regeneratum esse. Ad hoc requiritur tota hominis mutatio: ad illud non item. Denique visus quidem fuisset Christus in his verbis aliquid Apostolis singulare promississe, pro eo, quod omnia reliquerant, & se secuti fuerant: interim verò tempus non nominasset, quo ista eis promissa danda forent, quo vel maxime opus fuisset manifestum est, praesertim, cum in hoc seculo fieri illud non posset, Christus sciret. Et sic Christum semper egisse, quod scilicet diem, quo merces Apostolis & aliis fidelibus suis danda esset, nominaret, alibi legitimus.

At dicet aliquis: Satis illud tempus nominatum fuisse in illis verbis: *Cum sederit filius hominis in throno gloriae suae.* Respondemus, hoc ita fuisse obscurum, ut Apostoli vix tunc temporis illud intelligere potuerint. Nec enim constabat, quando Iesus Christus esset sessurus in throno gloriae suae. Praeterea non simul atque Christus in caelos ascendit, & sic in throno suo sedere coepit, sessuri erant Apostoli una cum eo, & iudicaturi tribus duodecim Israël: sed tunc demum id futurum Christus significare voluit, cum esset evidentissime regnator, & regni sui maiestatem omnibus revelaturus. Hoc autem quando futurum sit, Christus indicavit, dum dixit, *in Regeneratione*, ita ut haec verba significent & tempus, quando Christus est sessurus in throno

Luc: 14. 16.

Math: 10. 23.

Resurrectio appellatur regeneratio.

Obiectio.

Responsio.

throno gloriæ suæ (subintellige modo omnium perfectissimo & evidentissimo) & tempus etiam, quando sint sessuri super duodecim thronos Apostoli, & iudicaturi duodecim tribus Israël. Ex quibus omnibus apparere potest, hoc in loco vocabulum Regenerationis illud tempus significare, quando Christus venturus est, ut reddat unicuique secundum opera ejus, & proinde mutationem istam nostri, quæ in adventu Iesu Christi futura est, filiationem etiam nostri appellari posse. Qua de causa etiam Apostolus ait: Creaturam, scilicet novam, expectare revelationem filiorum Dei; creaturam liberatum iri ex servitute corruptionis, ad libertatem gloriæ filiorum Dei; creaturam, & eos, qui primitias Spiritus habent, hoc est, Apostolos unâ cum omnibus Christianis, expectare adoptionem filiorum, nempe liberationem corporis sui. Ex quibus iterum constat, eos, qui sunt Dei filii, expectare tamen, ut fiant Dei filii, Eodem igitur modo hoc in loco etiam dicitur, eos, qui Christum receperunt, in nomen ejus crediderunt, & ex Deo nati sunt, potestatem accepisse, ut fierent Dei filii. Quod non nisi de altero isto modo intelligi posse, ne mo jam, ut puto, non videt. Est igitur præstantia felicitatis eorum, qui grato animo Christum recipiunt eo modo, qui supra a nobis expositus fuit, quod sint olim certò futuri Dei filii, hoc est participes divinæ naturæ, quæ est Immortalitas, & omnium divinarum bonorum hæredes, Christi que cohæredes.

De loco R6: 8. 19.  
 ¶ 21.

¶ 23.

Consolatio,

Hic mihi jam centum linguas datas esse a Deo optarem, ut aliquam saltem istius tantæ felicitatis partem vobis fando exprimere & commendare possem. Quamquam ne sic quidem satis pro dignitate tantum bonum efferre possem. Essent enim centum linguarum res tamen finita, quæ rem infinitam vel efferre vel pro dignitate commendare nunquam potest. Quis unquam de tanta felicitate audivit? quis eam unquam vidit? in cuius ea hominis cor unquam ascendit? hominem, qui nunc mortalis est, tali modo evasarum Dei filium. Iuvat hinc pro multis pauca verba D. Ioannis afferre: *videte, quantam charitatem dederit nobis Pater, ut filii Dei vocemur. Dilecti, nunc filii Dei sumus, & nondum apparuit, quid futuri simus. Scimus autem, quod cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicut est.* Non dubitavit D. Ioannes dicere, nondum apparuisse, quidnam futuri simus: et tamen dicit, nos scire, quod Deo similes futuri simus. Rursus verò, qualis sit Deus, & quid sit Deo similem esse, quis intelligit? Maxima ea fore, quæ Deus nobis promisit, certò scimus: sed tamen istam ipsam magnitudinem non capimus. Non homines, qui nunc sunt homines, futuri sunt, sed aliquid sublimius. Filii Dei, cohæredes

1. Ioan: 3. 1: 2.



redes Christi, participes divinæ naturæ. Et quid multis opus est? cum ipso Deo perpetuò unum futuri sumus, & Deus nobiscum; Deum facie ad faciem videbimus; Deum cognoscemus, quemadmodum nunc ab eo cogniti sumus; Deus tam futurus est omnia in omnibus, quàm nunc est omnia in uno Iesu Christo. Gaude, lætare, exulta, quisquis es, qui Christo nomen dedisti, qui in Christum credis, qui veræ per Christum pietati studes. Hæc talis & tanta te manet felicitas, quam nec lingua effari, nec mens comprehendere potest. Tu, qui pulvis eras, divinus totus, quantus quantus es; evades. Tu, qui perpetuæ morti, tum ob propagationem ex patre eidem morti obnoxio, nempe Adamo, tum ob tua ipsius peccata, obnoxius eras, vitæ & gloriæ aternæ hæres futurus es. Atque hæcenus de felicitatis illius præstantia.

Certitudo ejusdem his verbis exprimitur: *Dedit eis potestatem, ut fierent*, &c. Quæ certitudo duplici modo innuitur. Prior sumtus est a persona dantis; alter a modo dandi.

Persona dantis exprimitur, dum ait D. Ioannes, *Dedit*, scilicet Sermo ille, Iesus Christus. Quantum verò in eo situm sit certitudinis spei nostræ & felicitatis, quòd sciamus, Iesum Christum esse, qui nos immediatè servaturus sit, explicavimus alibi latiùs, præsertim verò in explicatione suprâ memorata verborum Pauli 1. Cor. 13. *Nunc manent hæc tria, Fides, Spes, Caritas*, &c. Quod ad ipsum effectum attinet, perinde est, a quo quis felicitatem accipiat; sed ad spem concipiendam, quòd quis felicitatem accepturus sit, quam nondum habet, plurimùm interest scire, a quo ea danda sit. Nam quod ad ipsum Deum attinet, cujus solius est dare immortalitatem, non negatur, eum dare illam posse: sed nostra infirmitas, nescio quomodo inepta & tarda est ad credendum, Deum, cujus natura a nostra nimis longè distat, nostri talem curam gerere, ut nos etiam aternùm servare velit: at eadem infirmitas nostra, nescio quomodo facilis est ad credendum, si audiat, penes eum esse felicitatem humani generis, qui & ipse aliquando homo mortalis fuerit, & omnia mala, quæ in hominem Dei timentè cadere possunt, expertus sit. Trahitur quodammodo & cogitur homo, ut exuta omni feritate mansuescat, & se ad fidem Deo habendam, in re quantumvis incredibili, & omnem naturæ cursum superante, adduci patiatur. Quemadmodum multò rectiùs & cordatiùs confidebant Iosepho fratres ejus, se accepturos frumentum in Ægypto, quàm alii, quia scilicet eum apud Pharaonem esse sciebant, qui sui non posset non

Christus est dator immortalitatis.

Adhortatio.

Doctrina de  
Christi Divina  
potestate.

misereri, quòd frater eorum germanus esset. Sic etiam infirmitati nostræ Deus consulens, constituit Iesum Christum, qui hominibus salutem æternam annunciavit, ut is eandem etiam procuraret, & tandem ad ultimum finem perduceret, ut hac ratione homines ferros cicuraret, & ad se pertraheret. Certa igitur spes est nostra, charissimi in Domino. Ejus enim, quod speramus, dominus & dator est is, quem non pudet nos fratres suos appellare, qui nostrâ causâ mori non dubitavit. Bono simus animo: quod ad Deum atinet, nihil unquam de promissis dubitemus; & summum scelus esset, vel tantillum de illis ex parte Dei dubitare, siquidem scimus, Iesum Christum esse datorem & dominum vitæ immortalis.

Quanta verò iterum ex eo relucet Christi majestas, quanta divinitas? Ostendat nobis aliquis vel unum ex omnibus illis, qui populi divini curam olim gessere, qui cum Iesu Christo domino nostro comparandus in hac parte sit. Moses, qui omnium fuit præcipuus, nedum, ut alicui dederit felicitatem, quam Dei nomine promittebat, sed nec ipse eam consecutus est; imò vitâ defunctus, curam ejusdem populi alii commendavit. Et ita de omnibus aliis statuendum est. Solus Iesus Christus talis est Servator, talis Mediator, qui populum divinum reipsa servare potest. Agnoscamus igitur tanti Servatoris tantam divinitatem, & eam ex animo adoremus, colamus, metuamus. Valeant, qui nos calumniari non cessant, quòd Iesum Christum blasphememus. Sciant & audiant, nos a Iesu Christo sperare summi boni donationem, quod est Immortalitas. Quod si hoc est aliquem blasphemare, nescimus, quid sit, aliquem glorificare. Iam si de eo agitur, quòd Christus istam potestatem divinam non a seipso habeat, committimus eos, qui nos ita cavillantur, cum ipso Iesu Christo & Apostolis, qui hoc ipsum in suis dictis & scriptis creberrimè, apertissimè & propriissimè inculcârunt. Nos contenti eo, quod nos docuit ipse Christus & Apostoli ejus, firmiter id, quoad vitam hanc nobis Deus concesserit, tenebimus: Adversariis autem nostris meliorem a Deo mentem, & hujus sanctissimæ veritatis salutarem cognitionem precamur. Et hæcenus de certitudine felicitatis, quæ ex persona dantis fluit.

Quæ verò in modo dandi eam felicitatem inclusa est, ea continetur hac phrasi: *Dedit eis potestatem, ut fierent Dei filii.* Ita videtur loqui Ioannes, ac si ipsi credentes habeant potestatem seipsos servandi, ex mortuis resuscitandi, & immortalitate donandi, cum tamen nemo nesciat, hæc omnia penes solum Deum esse, & Iesum Christum

Christum Dominum nostrum. Hic scilicet est loquendi modus, ut sacra litera, dum ea, quæ divinitus nobis promissa sunt, & danda, describunt, ita loquantur, ac si jam illa in nostra sint potestate; ut scilicet tantò firmiorem certitudinem rei sperata animis nostris concipiamus. Quis enim ea de re dubitat, quam possidet, & quam in sua ipsius habet potestate? Hinc illa sunt Christi dicta, qui perdet animam suam, *inveniet*, vel *servabit*, vel *vivificabit* eam. Quomodo autem is, qui vitam suam perdit Christi causâ, propriè loquendo, eandem vitam invenire, servare, vel vivificare potest, cum homo, qui animam perdidit, nullus sit: hæc autem non nisi personis convenient? Nullus certè modus est, sacris literis convenientior, quo ista explicari possint, quàm quòd Spiritus sanctus invenire voluerit certitudinem spei, quam habent immortalitatis, credentes, ut, quemadmodum illi sponte animas suas ponunt Christi causâ: sic certo certius ex mortuis olim sint resuscitandi.

Gaudeamus igitur denuò, charissimi in Domino, siquidem tantam habet tanta spes nostra certitudinem. Penes nos, penes nos est ipsa æterna salus, ex Dei benignitate, si nos fideles Deo & Iesu præstiterimus; imò multò certior est nostra salus, quàm si nos ipsi eam possideremus. Possunt enim ea omnia, quæ possidemus, a nobis auferri, & nos ab illis: at ea, quæ Deus nobis promisit, nullo planè modo auferri a nobis unquam possunt, quamdiu fideles erimus. O beatitatem populi Christiani, cui summi boni summa contigit certitudo!

Non possumus igitur satis mirari adversariorum nostrorum audaciam, qui unde quaque collectis suffragiis, obtrusuri aliis suam de Christi divinitate ficticia sententiam, hoc etiam loquendi modo eam probare annuntiant, quòd scilicet dixerit: Se habere potestatem animam suam ponendi, & eam accipiendi. Hinc enim concludunt, eum propria virtute ex mortuis surrexisse, & proinde Deum illum unum & summum esse. qua in re quàm turpiter errent, vix dici potest: adeo scilicet absurdum est totum illud, quod in hoc argumento affirmatur, & seipsum quodammodo destruens. Quomodo enim potest aliquis seipsum ex mortuis resuscitare? cum is, qui mortuus est, nullus sit, & nullo neque sensu neque virtute præditus: qui verò resuscitat, eum & esse, & virtutem habere, necesse sit; & ita manifesta contradictio est in his enunciationibus. Quam contradictionem conciliare quidem conantur nostri adversarii, dum dicunt, respectu diversarum naturarum, quæ in

Cur dicatur, fideles habere potestatem, ut fiant Dei filii.

Matth: 10. 39.

Mar: 8. 35.

Luc: 17. 33.

Adhortatio.

Refutatio erroris, quòd Christus seipsum resuscitavit.

Ioan: 10. 18.

Christo fuere, divinæ scilicet & humanæ, illud fieri. Sed anñ potest naturâ humana mori, viva manente persona? Cùm humana natura ex sententia adversariorum nulla vera persona sit: Mori autem non cadat nisi in personam. Itaque fateri eos necesse erit, personam mortuam esse. Quæ cùm divina fuerit, Deum ipsum mortuum fuisse necessariò consequetur. Quomodo verò Deus, qui mortuus erat, seipsum vivificare potest? Neque hîc valet istud exemplum de anima & corpore in homine, ut, quemadmodum corpore destructo, dici potest, hominem esse mortuum, per quandam synecdochen, licet anima mortua non sit: sic etiam mortuâ humanâ naturâ, dici possit, Christum esse mortuum, per quandam communicationem idiomatum. Nam non est in hac controversia, id, naturâ divina, quod in homine est anima. Anima enim est pars hominis: at divina natura non est pars Christi. Si dicant, Deum saltem posse dici mortuum fuisse, mortuâ naturâ humanâ; præterquam quod gravissimè Deum blasphemabunt, jam vident, nihil huc pertinere similitudinem sumtam ab homine, constituto ex corpore & anima. Nec enim dici potest, per ullam figuram, mortuò corpore mortuam esse animam. Quod verò hunc loquendi modum attinet, quo affirmatur, Christum quoad mortalis erat, potestatem habuisse animam suam ut ponendi, sic etiam accipiendi, jam is satis superque per ea explicatus est, quæ suprâ diximus. Sensus scilicet horum verborum talis est: quemadmodum ego non moriar, quia vos Iudæi velitis, sed sponte mea Patris voluntati morem gero: sic etiam, quantumvis vos sitis impedituri, ne ex mortuis resusciter, tamen vobis nolentibus resuscitabor; quia hæc est Dei voluntas, quam impedire nemo potest; idque tam certò futurum est, ut nemo illud sit mutaturus. Et magni omnino sunt momenti hujusmodi instantiæ, si eorum, quæ alicubi de Christo prædicantur, exempla afferri possint, in illis, qui Christo sunt multò inferiores, nempe fidelibus illius; non ut Christum cum aliis comparemus: sed ut argumento utamur a minori ad majus hoc modo: Si de hominibus vulgaribus, qui in Christum credunt, dici potest, eos habere potestatem evadendi immortales, de quibus minùs id dici posse videtur; quantò magis id de Christo, de quo magis id dici posse nemo non videt, dici potest? Omnes enim credentes eatenus tantùm certi sunt de sua salute, si Deo obtemperent, quod totum penes eos situm est; & idè facillè fieri potest, ut salutem & resurrectionem non consequantur: at

tur: at Christus, quemadmodum certissimè saluti destinatus fuit, sic etiam certissimè voluit Deus, ut nulla ratione peccaret aut periret; qua in re etiam omnibus hominibus præstat Christus. Atque hæc hæcenus dicta sufficiant ad ostendendam certitudinem istius felicitatis, quæ obedientibus Iesu Christo divina contigit benignitate, & de toto hoc modo, quo Iesum Christum D. Ioannes commendat, collatione muneris ejus, cum munere Ioannis Baptistæ.

## Homilia octava.

**I**AM igitur pergamus ad tertium modum, quo munus Iesu Christi, & ipsum Iesum Christum commendat D. Ioannes, quem ab initio diximus pendere ab autoritate & testimonio Apostolorum Iesu Christi. Is autem continetur v: 14, 16, 17, 18. In quibus considerandum primùm, quid D. Ioannes testimonio illi suo & Apostolorum de isto Sermonem Iesu Christo, quem hæcenus tantopere commendavit, præmittat. Deinde, quale testimonium suum & Apostolorum describat.

Illud, quod D. Ioannes testimonio suo & Apostolorum de Iesu Christo, Sermonem illo, quem hæcenus tantopere commendavit, præmittit, est: quænam istius tanti Servatoris natura, vel quid, quoad naturam suam, fuerit. Videri enim alicui potuisset, eum, quem tantâ omnium rerum divinarum scientiâ, tanta potestate ab ipso Deo donatum fuisse, prolixè prædicârat, nescio quid fuisse secundum suam naturam: quemadmodum postea etiam accidisse videmus ferè omnibus, qui Christum professi sunt. Bona enim eorum pars, quæ Arium sequebatur, naturam & substantiam Iesu Christi spiritualem fuisse, eumque, tanquam spiritum ante omnia secula creatum a Deo, cum eo semper fuisse contendebant, donec tandem Deus per illum ipsum spiritum mundum creaverit; qui denique Spiritus formam carnis humanæ assumerit, & in ea sese ad certum tempus hominibus conspiciendum præbuerit. Reliqui, qui Homousiani tunc temporis appellabantur, hodie verò Pontificii appellantur, ipsum etiam Deum, qui Pater est, distinctum tamen ab eo personâ, Iesum Christum esse commenti sunt; & hac de re infinitæ contentiones post ipsa Apostolorum tempora nata fuere, &

Cur Ioannes de  
Christi natura  
mentionem fecerit.

deinde etiam cruenta bella, quibus alii alios summa cum offensio-  
ne extraneorum ad interuersionem usque persecuti sunt, & Iudæis  
causam in sua infidelitate permanendi præbuerunt, Mahometani-  
nis uero a Christi fide deficiendi: quemadmodum hæc de re testan-  
tur historici, & ipsa experientia loquitur. Vtrique autem in istos su-  
os errores propterea potissimum inciderant, quod statuerent, tot,  
talia & tanta, quot, qualia & quanta de Iesu Christo in sacris literis  
prædicantur, non posse prædicari de tam humili subiecto, homine  
Iesu Christo. Itaque Spiritus ille Sanctus, qui Apostolis datus e-  
rat, ac si huiusmodi corruptionem temporum & hominum prævi-  
disset, extare uoluit evidentissima testimonia de eo, quisnam ille  
talis & tantus Servator, quoad naturam suam fuerit. Inter quæ hoc  
non est postremum, quod D. Ioannes ait: *Et Sermo ille Caro fuit.*

Obiectio.

Erumpet hic aliquis Trinitarius, & exclamabit: proh Deum, quid  
audio? quanta hæc sacrarum literarum corruptio, quanta prophana-  
tio, uerba ea, quæ a tot retrò seculis semper ita uersa fuere,  
*Et sermo caro factus est*, ita convertere, & *Sermo caro fuit*? admissa  
hæc lectione, corruet tota ista argumentatio, quam ex his uerbis po-  
tissimum petimus ad defendendum dogma illud tremendum, quod  
est Christi incarnatio. In omnibus enim ecclesiis, quæ Christum pro-  
fitemur, cum summa adoratione uerba illa & leguntur & cantantur:  
*Deus homo factus est*; & horum uerborum fundamentum sunt hæc D.  
Ioannis uerba; *Et Sermo ille*, uel *Verbum caro factum est*. Verbum e-  
nim illud Deus fuit: i. Caro autem hominem significat. ideoque  
iure dicitur, & cantatur, Deum factum esse hominem. Hæc de re ne-  
mo omnium hæctenus dubitauit; hoc omnes unanimi consensu am-  
plexi & confelli sunt; pro hoc dogmate multi uitam etiam suam po-  
nere non dubitarunt. Ad hæc uero omnia sic respondemus: Nihil no-  
bis noui accidere, si ita homines & excandescant & furiant; & ista  
omnia dicturos eos esse, benè prospeximus, & planè sperauimus: sed  
non est propterea animus despondendus, neque committendum, ut  
panico quodam terrore perculsi terga demus. Videamus enim, quid  
tandem ista omnia ualeant, quæ a nostris aduersariis afferuntur, ad  
hanc nostram uersionem evertendam. Fatemur, nos aliter ea uerba  
uertere, quàm hæctenus alii Christiani ea conuerterunt, qui suam in  
hunc laborem operam impenderunt: sed tamen uersioni tantum il-  
lorum, nostra uersio contraria est, uel ab ea diuersa: at non est contra-  
ria uerbis D. Ioannis. Is enim ita locutus est, καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένε-  
το. Hæc autem uerba nemo negare potest, tam, *Et sermo caro fuit*,

Responsio.

quàm,

quàm, *Et sermo caro factus est*, converti posse. Iam puto eos fore paciores, cum vox ἐγένετο procul omni dubio multis in locis pererat ab ipsis etiam adversariis nostris conversa sit, & ut ita convertatur etiam, omninò necesse sit. Si verò dicant, hoc in loco necesse esse, ut per *Factum est*, convertatur, necesse est pariter, ut tale ejus versionis afferant rationes, quæ, aliter eam converti non posse, demonstrent. Hoc autem hæcenus ab eis factum esse, nos quidem nondum legimus. Fortassis ob hanc causam, quòd nemo ea de re dubitaverit. Quòd si igitur in posterum rationes quasdam allaturi sunt, quibus id doceant, nos eas considerabimus, & ad eas etiam, si opus sit, respondebimus, quia scilicet falsissimum esse istud dogma, quod ex tali horum verborum versione colligunt adversarii, certo certius persuasum habemus. Ad ea, quæ Smiglecius nuper attulit, responsionem habes in nostra refutatione. Nunc verò aliquid nos dicemus, quod fidem fortasse alicui non pertinaci facere possit, hoc in loco non factum est, sed *fuit* legendum esse. Hoc autem est, rerum, quas Ioannes describit, series. Nimis enim turpe, & tanto Apostolo indignum esset Ἰσραὴλ πρὸς τὸν Ἰησοῦν, posteaquam commemorasset Ioannis Baptistæ de Iesu Christo testimonium, quod non nisi post Christum jam natum factum est; postquam item docuisset, Iesum Christum in mundo fuisse, & a suis non receptum, iis verò, a quibus receptus fuerat, dedisse potestatem, ut filii Dei fierent: postquam, inquam, ista omnia dixisset, quæ post Christi non tantum nativitatem, verum etiam post multos ætatis ejus annos, nempe post missionem in mundum, quæ anno ipsius ætatis cepit trigésimo, eum, quasi sui oblitum, dicere primum voluisse, istum sermonem, de quo Ioannes testatus sit, & qui hæc & illa in mundo effecerit, quæ universi Evangelii compendium quoddam sunt, factum esse hominem, vel natum esse. cum proculdubio istud prius, quàm illa, commemorandum esset, si ita sese res haberet, ut nostri adversarii existimant. Certum igitur esto, verba Ioannis ita verti & posse & debere: *Et sermo ille caro fuit*.

Quod verò ad illud dogma tremendum attinet, id nullo modo his verbis probari potest. Suprà enim docuimus, sermonem, qui v. 1. Deus appellatur, fuisse apud illum Deum, scilicet summum & unum, qui Pater est, & idè non esse illum summum & unum Deum, cum nemo sit apud seipsum: Argumentatio autem adversariorum requirit, ut de Deo illo summo & uno dicatur, eum esse factum hominem. Deindè nimis & absurdum & blasphemum est affirmare, Deum illum

Incarnationis  
dogmatis falsitas  
& absurditas

lum summum & unum factum esse hominem. Nam si Deus ille unus factus est homo, facta est in Deo mutatio. At is, in quem cadit mutatio, Deus unus esse non potest. Factam autem fuisse mutationem indè apparet, quòd aut Deo id accessisse dicendum est, quod antea non habuit, vel Deum id assumisse, quod cum ejus natura tam pugnat, quàm quod maximè. Quid enim magis Deo contrarium & ipsius divinis qualitatibus, quàm finitum esse? Omnis autem homo est finitus. Præterea si Deus homo factus est, factus est etiam mortalis, & mori Deus potuit. Quod equidem horresco dicere, & nihil dubito, quin hujusmodi dogmata & opiniones, quæ a multis retrò seculis pro doctrinis a Christo traditis spargebantur & defendebantur, Judæis occasionem dederint permanendi in sua infidelitate, Mahometanis autem causam præbuerint a Christi religione deficienti, & eam cane pejus & angue odio prosequendi in hunc usque diem: Et tamen non veriti sunt antiquiores, non verentur etiam recentiores Theologi, & virginem Mariam θεοτόκον, hoc est, Deiparam appellare, & affirmare, dici suo modo posse, Deum esse mortuum. Quanquam quidam, qui præ aliis sapere volunt, malint dicere, Divinitatem esse passam & mortuam. Sed apage istos loquendi modos, quibus Scriptura non utitur, & quæ ad blasphemandum nomen divinum ab ipso Satana hominibus suggesti sunt. Nos quidem ita sentimus: Nusquam ne semel quidem in sacris literis inveniri hanc locutionem, Deum esse hominem factum, vel aliquid simile, ex quo hæc res colligi certò possit. Et tamen necesse esset, si hoc dogma caput esset Christianæ religionis, & ad salutem æternam consequendam necessarium, ut est sententia omnium adversariorum, ut non tantùm semel atque iterum, sed creberrimè iteratum extaret, idque ita, ut nemo de eo dubitare ulla ratione possit; & præterea necesse etiam esset, extare aliquod præceptum divinum, ut omnes huic rei crederent, si servari velint. Omnia enim, quæ ad salutem necessaria sunt, in sacris literis contineri, nemo nisi mancipium Antichristi negabit, quos nunc non moramur. Et, si quid est difficile ad credendum, hoc esset. Quare tantò magis opus esset, ut creberrima & apertissima mentio ejus fieret, ita ut, quod naturam & rationem humanam superat, efficeret tandem autoritas sacrarum literarum, & sic ea res fidem apud omnes mereretur. Sed nedum ut creberrimè & apertissimè præceptum extet, quòd omnes teneantur ita credere; neque unica, neque obscura mentio fit, nec vestigium ullum extat, in tam prolixo sacrarum literarum volumine, ejus rei, ex qua probabiliter ea colligi



colligi posset. Et, quod probè notandum est, præcipui loci, ex quibus hanc suam sententiam probare nituntur adversarii, ita se habent, ut sola eorum versio falsitatem sententiæ docere possit. Locus omnium primus hic est, quem nunc explicamus, qui si aliter legatur, totum illud corrui, quod ex eo astruebatur. Locus est alter 1. Tim: 3. *Deus manifestatus in carne.* Sed quàm vanum sit, quicquid ex isto loco colligitur, inde apparet, quòd in plurimis antiquissimis Latinis exemplaribus non extet vox Græca *θεός*, & totum illud, quod ibi dicitur, de mysterio pietatis intelligi commodissimè possit. Locus ille Heb: 2. *Non enim Angelos assumpsit, sed semen Abraham assumpsit*, præter alia multa, quæ inde excerpti possunt ad dogma hoc destruendum, nititur etiam sola versione vitiosa. Quod enim autor Epistolæ dicit de re præsentis, & quæ nunc etiam peragatur a Iesu Christo, *ἐπιλαμβάνεται*, *assumit*, hoc illi per summam audaciam ita converterunt, ac si de re præterita sermo esset, *assumpsit*: vel saltem dicunt non minori audacia, verbum *assumit* per *assumpsit* esse explicandum. Pugnatur scilicet nobiscum non testimoniis sacrarum literarum, sed corrupta & vitiosa versione quorundam testimoniorum sacrarum literarum. Neque est, quod quis arrogantiam crimen objiciat, quòd scilicet plus nobis tribuamus, quàm omnibus aliis interpretibus, quos tamen linguæ Græcæ fuisse peritissimos, nemo nesciat. Nos enim libenter aliis hac in re palmam concedimus, & nos ab eis scientiâ hujus linguæ superari, facillè ferimus: sed tamen non concedimus, ex eo, quòd quis sit linguæ alicujus peritissimus, sequi, eum in versione alicubi non posse errare. Potest enim causa subesse alia, cur erret, præter ignorantiam linguæ. Ea autem fuit hac in re maximi momenti ista: quòd omnes isti interpretes persuasum haberent, Deum esse factum hominem, & hanc suam sententiam hisce locis confirmari posse. Ideoque non, quid textus & verba suaderent, sed quid ipsorum sententia postuleret, id illi scripserunt, & ita verba Christi & Apostolorum transtulerunt. Sed libet adhuc unum addere, priusquam finem huic nostro sermoni imponamus, & ad alia transeamus, & est hoc: quòd credimus, etiamsi non semel atq; iterum, sed satis crebrò & apertissimè scriptum extaret, Deum esse hominem factum, multò satius esse, quia hæc res sit absurda, & sanæ rationi planè contraria, & in Deum blasphema, modum aliquem dicendi comminisci, quo ista de Deo dici possint, quàm ista simpliciter ita, ut verba sonant, intelligere, & ita sanctissimam Iesu Christi religionem pro turpissima omnibus ridendam exponere. Vñ

M

sunt

Incarnationis  
fundamenta in-  
firma & falsa.

Causa lapsus in-  
terpretem.

Si scriptum ex-  
taret, Deum esse  
hominem factum,  
quomodo id in-  
telligendum fo-  
ret.

sunt hac prudentia omnes Theologi in rebus, quæ multò minùs, etiamsi propriè intelligerentur, Dei majestatem offenderent: ut eùm de Deo legitur, eum irasci, eum dolere, eum descendere, per *ἠὺν ὄρωπρον ἰσθλαίαν* ea de illo dici docuerunt. Nec enim convenire ipsi videbatur, in Deum hujusmodi perturbationes aut motus cadere. Quomodo verò in Deum propriè cadere potest id, quod ipsius non tantùm qualitates, verùm etiam essentiam respicit, & necessariò mutat?

Vt igitur ad rem redeamus, quemadmodum ineptissimè Iohannes, posteaquam ea descripsisset, quæ Christo jam in mundum missa, & docendi munus peragente, acciderant, nativitatem ejus primùm describens, induceretur: sic aptissimè & convenientissimè, posteaquam descripsisset ea, quæ ad Christi præstantiam ostendendam pertinebant, quæ planè summa est, ne quis crederet, eum aliquem alium describere, quàm alii Apostoli, qui Iesu Christi humilitatem, quoad naturam, plarumque persequuntur; & ne quis impossibilia esse crederet ea, quæ tam prolixè commemorârat, in Iesum competere, huic rei occursurus ita loquitur, *Et sermo ille caro fuit*, hoc est, neminem alium ego describo tam magnificè, præter & ante illum hominem Iesum, qui alioquin fuit omnis generis afflictionibus & infirmitatibus obnoxius. Is ipse est tantus Servator, qui Caro fuit. Caro autem in sacris literis significat hominem & infirmum & mortalem. Hinc illa sunt verba Dei: *Non contendet spiritus meus cum homine in perpetuum, quia caro est:* & illa apud Esaiam: *Omnis caro ut fœnum.* Ob quam causam etiam dicitur, eum esse Christum, qui in Carne venit, hoc est, carne circumdatus.

Quid sit Carnem esse.

Gen: 6. 9.

Esa: 40. 6.

1. Joan. 4. 2.

Causæ, cur Deus Christum carnem esse voluit.

Cur verò Deus Iesum Christum, qui talis & tantus fuit Servator, hominem & infirmum & mortalem esse voluerit, operæ pretium est, & juvat hoc in loco paucis addere. Duæ sunt potissimùm causæ, quare Deus hoc fieri voluerit. una est: ut inde gloria Dei tantò appareret illustrior. Quò enim infirmior est is, per quem aliquid divinum fit, tantò magis illius, qui per rem infirmam, rem maximam perficit, elucescit potentia & divinitas. altera est: ut inde tantò certior esset nostra de Dei benignitate spes & fiducia. Quis enim dubitaret de Dei erga se clementia, & consequenda immortalitate, si in aliquo, qui nobis per omnia similis fuit, demonstratam eam videat, & duce[m] fidei nostræ, nobis olim in infirmitate similem, nunc id, quod nos speramus, consecutum esse, per suasum habeat? Quis non adduceretur ad imitandum eum, & eidem obediendam, cujus vita & mores omni-

bus

bus fuerunt manifesti, & qui in infirmitate & mortalitate degens, Deo servivit eo modo, quem nobis præscripsit? Exempla certè magis nos ad Deo credendum & eidem obediendum movent, quàm omnia alia, quæ ad hanc rem pertinentia fieri possunt. Hanc igitur gloriam Deo detrahunt; hanc consolationem ipsi sibi surripiunt, qui nolunt agnoscere, Iesum Christum carnem fuisse, vel, qui præter hanc humanam naturam, aliam præterea eum habuisse contendunt. Quæ enim ex eo gloria ad Deum redire potest, si is, qui semper Deus fuit, humanam naturam assumpsit, & per eandem assumptionem suas cum ea proprietates communicavit? Quæ verò spei nostræ inde confirmatio peti potest, si is, qui naturam nostram habuit, ita eam habuit, ut cum divina indissolubili vinculo esset ligata, ita ut, quodcunque habebat natura divina, idem etiam humana haberet? Facile fuit ei naturæ humanæ Deo obedire, facile ei fuit ex mortuis resurgere, si modò id verum esse potest. Conjuncta enim fuit cum natura divina, quæ omnia præstitit. Tantum igitur abest, ut ista opinio de Iesu Christo spem hominum alat & foveat, ut potiùs ad eam labefactandam & evertendam aptissima sit. Quocirca nos, omissis illis vanitatibus & commentis hominum, gratias Deo agamus pro ista bonitate, quòd Servatorem nostrum carnem esse voluerit, hoc est, hominem nostri per omnia in infirmitatibus & afflictionibus similem. Hunc nostrum ducem imitemur, ut aliquando unà cum eo a morte liberati, spiritualem istum vivendi modum consequamur.

Iam igitur, quia satis superque ostendimus & declaravimus, quid sit illud, quod Ioannes, priusquam ad testimoni sui ipsius & cæterorū Apostolorum perveniat, de Christo dixerit, transcendendum nobis est ad ipsum Apostolorum testimonium, ubi priùs hoc addiderimus, quòd Pontificius quidam propterea nostram lectionem consistere non posse ait, quòd eà admissa sequeretur, Christum carnem nunc non esse, sed olim fuisse. Quàm verò hoc sit frigidum & frivolum, si quis significationem vocabuli *carnis* consideret, puto unicuique constare. Quis enim eum carnem nunc esse dicere audeat, qui factus est in Spiritum vivificantem? Prævidit fortasse, si Christus nunc caro non sit, non posse etiam istum panem sacramentalem transsubstantiari in carnem Christi. Et bene prævidit. Hac enim eadem opera istud etiam dogma planè prosternitur & falsitatis summæ convincitur. De quo nunc non est dicendi locus.

Testimonium igitur Apostolorum quod attinet, primùm id exponitur, quod fidem testimonio illorum facere potest. Deindè id ipsum etiam, quod de Iesu Christo testari jure potuerunt, exprimitur,

Gabriel Eutropius.

Christus nunc non est Caro.

1. Cor: 15. 45.

Testimonium Apostolorum quibus rebus nitetur.

sunt hac prudentia omnes Theologi in rebus, quæ multò minùs, etiamsi propriè intelligerentur, Dei majestatem offenderent: ut eùm de Deo legitur, eum irasci, eum dolere, eum descendere, per *ὁὐδὲ πῶπι ἀθεΐαν* ea de illo dici docuerunt. Nec enim convenire ipsis videbatur, in Deum hujusmodi perturbationes aut motus cadere. Quomodo verò in Deum propriè cadere potest id, quod ipsius non tantùm qualitates, verùm etiam essentiam respicit, & necessariò mutat?

Vt igitur ad rem redeamus, quemadmodum ineptissimè Ioannes, posteaquam ea descripsisset, quæ Christo jam in mundum misso, & docendi munus peragente, acciderant, nativitatem ejus primùm describens, induceretur: sic aptissimè & convenientissimè, posteaquam descripsisset ea, quæ ad Christi præstantiam ostendendam pertinebant, quæ planè summa est, ne quis crederet, eum aliquem alium describere, quàm alii Apostoli, qui Iesum Christi humilitatem, quoad naturam, plerumque persequuntur; & ne quis impossibilia esse crederet ea, quæ tam prolixè commemorârat, in Iesum competere, huic rei occursum ita loquitur, *Et sermo ille caro fuit*, hoc est, neminem alium ego describo tam magnificè, præter & ante illum hominem Iesum, qui alioquin fuit omnis generis afflictionibus & infirmitatibus obnoxius. Is ipse est tantus Servator, qui Caro fuit. Caro autem in sacris literis significat hominem & infirmum & mortalem. Hinc illa sunt verba Dei: *Non contendet spiritus meus cum homine in perpetuum, quia caro est:* & illa apud Esaïam: *Omnis caro ut fœnum.* Ob quam causam etiam dicitur, eum esse Christum, qui in Carne venit, hoc est, carne circumdatus.

Quid sit Carnem esse.

Gen: 6. 3.

Esa: 40. 6.

1. Ioan. 4. 2.

Causæ, cur Deus Christum carnem esse voluit.

Cur verò Deus Iesum Christum, qui talis & tantus fuit Servator, hominem & infirmum & mortalem esse voluerit, operæ pretium est, & juvat hoc in loco paucis addere. Duæ sunt potissimùm causæ, quare Deus hoc fieri voluerit. una est: ut inde gloria Dei tantò appareret illustrior. Quò enim infirmior est is, per quem aliquid divinum fit, tantò magis illius, qui per rem infirmam, rem maximam perficit, e-lucescit potentia & divinitas. altera est: ut inde tantò certior esset nostra de Dei benignitate spes & fiducia. Quis enim dubitaret de Dei erga se clementia, & consequenda immortalitate, si in aliquo, qui nobis per omnia similis fuit, demonstratam eam videat, & ducem fidei nostræ, nobis olim in infirmitate similem, nunc id, quod nos speramus, consecutum esse, per suasum habeat? Quis non adduceretur ad imitandum eum, & eidem obediendum, cujus vita & mores omni-  
bus

bus fuerunt manifesti, & qui in infirmitate & mortalitate degens, Deo servivit eo modo, quem nobis præscripsit? Exempla certè magis nos ad Deo credendum & eidem obediendum movent, quàm omnia alia, quæ ad hanc rem pertinentia fieri possunt. Hanc igitur gloriam Deo detrahunt; hanc consolationem ipsi sibi surripiunt, qui nolunt agnoscere, Iesum Christum carnem fuisse, vel, qui præter hanc humanam naturam, aliam præterea eum habuisse contendunt. Quæ enim ex eo gloria ad Deum redire potest, si is, qui semper Deus fuit, humanam naturam assumpsit, & per eandem assumptionem suas cum ea proprietates communicavit? Quæ verò spei nostræ inde confirmatio peti potest, si is, qui naturam nostram habuit, ita eam habuit, ut cum divina indissolubili vinculo esset ligata, ita ut, quodcunque habebat natura divina, idem etiam humana haberet? Facile fuit ei naturæ humanæ Deo obedire, facile ei fuit ex mortuis resurgere, si modò id verum esse potest. Conjuncta enim fuit cum natura divina, quæ omnia præstitit. Tantum igitur abest, ut ista opinio de Iesu Christo spem hominum alat & foveat, ut potius ad eam labefactandam & evertendam aptissima sit. Quocirca nos, omiſſis illis vanitatibus & commentis hominum, gratias Deo agamus pro ista bonitate, quòd Servatorem nostrum carnem esse voluerit, hoc est, hominem nostri per omnia in infirmitatibus & afflictionibus similem. Hunc nostrum ducem imitemur, ut aliquando unà cum eo a morte liberati, spiritualem istum vivendi modum consequamur.

Iam igitur, quia satis superque ostendimus & declaravimus, quid sit illud, quod Ioannes, priusquam ad testimonium sui ipsius & cæterorū Apostolorum perveniat, de Christo dixerit, transeundum nobis est ad ipsum Apostolorum testimonium, ubi prius hoc addiderimus, quòd Pontificius quidam propterea nostram lectionem consistere non posse ait, quòd eà admissã sequeretur, Christum carnem nunc non esse, sed olim fuisse. Quàm verò hoc sit frigidum & frivolum, si quis significationem vocabuli *carnis* consideret, puto unicuique constare. Quis enim eum carnem nunc esse dicere audeat, qui factus est in Spiritum vivificantem? Prævidit fortasse, si Christus nunc caro non sit, non posse etiam istum panem sacramentalem transsubstantiari in carnem Christi. Et bene prævidit. Hac enim eadem opera istud etiam dogma planè prosternitur & falsitatis summæ convincitur. De quo nunc non est dicendi locus.

Testimonium igitur Apostolorum quod attinet, primùm id exponitur, quod fidem testimonio illorum facere potest. Deindè id ipsum etiam, quod de Iesu Christo testari jure potuerunt, exprimitur,

Gabriel Eutropius.

Christus nunc non est Caro.

1. Cor: 15. 45.

Testimonium Apostolorum quibus rebus nitetur.

tur. Quod fidem eorū testimonio facere potest, est: i. quòd ait: *Habitavit in nobis*, hoc est, inter nos, nobiscum conversatus est. Per vocem autem *Nobis* intelligit seipsum & alios Apostolos. antea enim, cū de omnibus hominibus, ad quos Christus pervenit, loqueretur, dixerat in tertia persona, eum fuisse in mundo, venisse ad propria, &c: Nunc verò seipsum & alios Apostolos ab illis multis excipit, per vocem *Nobis* &c. Deinde non ita propriè gloriam Christi illam singularem, ex qua filius Dei unigenitus esse apparuit, reliqui homines viderunt, ut ipsi Apostoli; nec etiam isto modo cum aliis hominibus Christus habitavit, ut cum Apostolis; imò aliorum consortia, & habitationem cum illis plerumque fugit, quia scilicet eis non confideret. Quia verò aliter de Apostolis persuasus erat, perpetuò cum illis conversatus est, ita ut a latere ipsius nunquam discesserint, nisi aliquòd missi. Valdè autem credibile est, eum, si homo sit probus, verum dicere de aliquo testimonium, qui cum eo quotidie per aliquot annos conversatur.

2. ait: *& contemplati sumus gloriam ejus*, hoc est, non tantum semel atque iterum, vel licet creberrimè, tamen obiter & aliud agentes, eam vidimus: sed & sapissimè gloriam illam vidimus, & diligentissimè intentis in eam oculis aspeximus, & ita mentes nostræ convertæ sunt, ut hac in re falli nullo modo possimus. Hoc etiam modo fidem facit suæ scriptioni idem Ioannes in initio Epistolæ primæ: *Quod erat in principio, quod audivimus, quod oculis nostris vidimus, quod contemplati sumus, & manus nostræ contrectarunt* &c: Unde etiam apparet, plus esse, aliquid contemplari, quàm videre: quemadmodum plus est videre, quàm audire.

Quia igitur Apostoli cum Christo perpetuò conversati sunt, & singulis diebus ipsius singula facta & dicta contemplati sunt, idè iure eis fides adhibenda est: nisi quis forasse dubitet, an ita omnia retulerint, quemadmodum se habebant. Hoc autem de illis sentire, proprietas & præstantia muneris eorum nullo modo patitur. ab hoc enim nimis alienum fuisset, tantum mendacium dicere, quod ipsis nihil commodi, omnibus verò damnum incomparabile peperisset. Quanta verò sit autoritas eorum, qui aliquid viderant, de quo testantur, docere inter alia iste locus potest, qui est Luc: i. v: 2. Ibi enim Lucas, historix suæ fidem conciliaturus, scribit, illa, quæ narraturus erat, tradita sibi ab iis, qui illa oculis suis conspexerant, satis innuens, testimonium nullum evidentius esse, posse atque hoc. Hinc etiam Deus, ut Christus esset fide dignus testis, voluit, ut omnia ea videret in ipso cælo, de quibus testatus est.

Testimonium autem ipsum tale est: Vidimus vel contemplatum gloriam ejus, *gloriam quasi unigeniti a Patre*, hoc est, gloriam talem in eo vidimus, quæ nulli alii competere potest, quàm isti Servatori mundi, quem nos Iesum esse prædicamus; ita ut, si nostrum etiam testimonium cum illis, quæ supra satis prolixè ostendimus, conjungatur, planum futurum sit, Iesum dominum, & neminem alium esse illum Christum & olim promissum Mundi Servatorem.

Potest autem hoc, quod hic D. Ioannes dicit, duplici modo intelligi: quorum prior ad omnes Apostolos spectat: posterior ad quosdam tantum. Omnes enim Apostoli præter ea, quæ publicè in oculis omnium docebat & faciebat Christus, multa & audiverunt & viderunt quotidè, ex quibus Christi gloria singularissima apparuit, & eis innotuit: inter quæ omnium maximum est, quòd solis Apostolis (& aliis eorum similibus) datum fuit, Christum ex mortuis resuscitatum videre, cum eo conversari, comedere & bibere, & aspicerè illam ejus in cælos miraculosam ascensionem. Quod quanti faciendum sit, indicant ista D. Petri verba: *Hunc Deus suscitavit tertia die, & dedit eum manifestum fieri, non omni populo, sed testibus præordinatis a Deo, nobis, qui unà comedimus & unà bibimus cum eo, postquam ex mortuis resurrexit.* Ex quibus verbis colligi etiam potest, Christum potissimum & præcipuè sese Apostolis exhibuisse. Illi enim testes erant futuri resurrectionis, Act: 1. 22. Quæ sola res tantum animi Apostolis addidit, ut intrepidè dicerent: *Non possumus nos ea, quæ vidimus & audivimus, non loqui,* & quidvis potius ferre & pati vellent, quàm hoc dissimulare. Et certè, si quis credat, Apostolos Iesum ex mortuis resuscitatum vidisse, is satis habet testimonii, solum Iesum & neminem alium esse Christum & Servatorem mundi; & certum est, neminem eorum, qui Iesum ex mortuis resuscitatum viderunt, dubitasse; nec, si omnibus sese Christus conspiciendum præbuisset, posteaquam ex mortuis resuscitatus fuit, quisquam unquam dubitasset, anis esset Servator mundi. Tanta vis & gloria est hujus solius rei, videre Christum ex mortuis resuscitatum, adè ut illorum fides, qui crediderant, idè, quòd Iesum ex mortuis resuscitatum viderant, inferior habeatur eorum fide, qui in eum credunt, licet eum non viderint.

Quod attinet ad modum, qui ad quosdam Apostolos attinet, is præter miracula singularia, ad quæ pauci tantum admittēbantur, fuit in primis visio transfigurationis Christi in monte sacro. Ibi enim verè visa fuit Christi divina gloria; & D. Petrus ait, *se ipsum contemplatum esse ipsius Magnificentiam, cum ei datus fuit honor & gloria, de-*

Testimonium A-  
postolorum de  
Christo.

Omnium.

Act: 10. 40.

Act: 4. 20.

Ioan: 20. 29.

Quorundam.

2 Pet. 1. 16, 17, 18.

Mat: 16. 28.  
Mar: 9. 1.  
Luc: 9. 27.

voce ab illa magnifica gloria: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacuit. Quæ res propter insignem suam præstantiam Regnum Dei & Christi appellatur: Sunt, ait Dominus, quidam ex iis, qui hic astant, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo, vel Dei. Viderunt autem paucis diebus post gloriam istam, quando Iesus coram eis fuit transfiguratus; quando vox ipsius Dei ad aures eorum pervenit, quibus testimonium tam augustum filio suo perhibuit. Quod etiam referri potest visio vel aspectatio eorum, quæ ipso moriente & mortuo gloriosa admodum extiterunt.

Verè igitur contemplati sunt Apostoli gloriam Iesu Christi, tanquam Unigeniti a Patre, hoc est, tanquam charissimi ejus filii. Et proinde tanti nobis faciendus est Iesus Christus, quanti eum fecèrè illi, qui nostræ religionis fundatores sunt. Agnoscendus est Iesus Christus pro unigenito illo filio Dei, & omnia, quæcunque dixit & fecit, tanquam istius unigeniti filii Dei dicta & facta agnoscenda sunt.

Objectio de voce Unigeniti.

Responsio.

Heb: 11. 17.

Prov: 4. 4.

1. Par: 3. 1.

Unigenitus est charissimus.

Generatio ex essentia Dei non datur.

Hic verò paucis verbis respondendum est adversariis nostris, qui ex voce unigeniti demonstrare conantur, Iesum Christum esse se genitum ex substantia Dei Patris: alioquin, si scilicet eo modo unigenitus, quo alii etiam gigni solent vel possunt, non fore eum unigenitum. Ad hoc verò argumentum respondemus, negando ejus consequentiam, quòd scilicet necesse sit, eum, qui unigenitus sit filius, alio modo genitum esse, quàm alii. Unigenitus filius Abrahami dictus est Isaac; unigenitus filius matris suæ Salomon: & tamen ex eodem patre fratrem habuit Isaac Ismaëlem; Salomon verò ex eodem Patre & ex eadem matre fratrem non unum habuit, quorum etiam nomina ascribuntur. Unde videre est, aliam esse vocis hujus significationem, præter eam, quæ vulgò ipsi affingitur, quæ hæc est: Esse charissimum, & solum præ aliis hæredem. Idque eò magis valere debet, quòd uterque, Isaac scilicet & Salomon, typi Christi fuerint. Hinc denique animam suam David unigenitam suam appellat, Psal: 22. 21. & 35. 17. Deinde, etiam si concedatur, vocis unigeniti eam vim esse, ut singularitatem generationis significet, num statim consequetur, eum isto modo singulari genitum esse, qui est impossibilis, & Deo longè indignissimus? Quomodo enim ex Dei essentia aliquid generari potest, cum ea sit & impartibilis, & tota etiam communicari cum nemine possit, quia scilicet numero una est & simplicissima? Quid porrò magis offèndit omnes extraneos, Iudæos & Turcas, & causam eis justam præbet



præbet illudendi Christiani nominis professoribus, & dicendi, an etiam uxorem Deus habeat, qui filium genuerit, quàm hujusmodi dogma? Cujus blasphemiam in Deum rationem reddent non tam isti, qui ita blasphemant, quàm isti, qui suis commentis plusquam Philosophicis & atheologis ad hanc impietatem homines compulserunt. Nonne alius extat modus generationis Iesu Christi admodum singularis, ut nemini planè inter omnes creaturas competat? Genitus est Dei virtute ex virgine Maria; genitus est Dei virtute per resurrectionem & exaltationem, & factus est hæres omnium. Quid igitur volumus amplius? Cur non contenti sumus iis, quæ nobis sacræ literæ suppeditant, & captamus ea, quæ a vanissimis hominum curiosorum cogitationibus profecta sunt? Est igitur Iesus Christus Filius Dei ille proprius, & unigenitus, etiamsi negetur, cum esse ex essentia istius summi & unius Dei genitum.

Quæ porro addita sunt verba: *Plenus gratia & veritate*, ad testimonium Apostolorum supplendum pertinent. *Plenus*, scilicet, erat sermo ille, Gratiæ & veritate, de quibus paulò post plura dicemus. Per *gratiam* intelliguntur promissa, quibus homines in Evangelio Deus trahit ad obsequium sui: Per *veritatem* ratio vitæ & cultus, quem Deus sub Evangelio præscripsit. *Plenus* verò gratia & veritate fuit sermo ille Iesus Christus, quia non tantum promissis qualibuscunque nos Deo per eum trahit ad obsequium sui, sed promissis omnium perfectissimis; & quia non qualemcunque modum verè sibi serviendi, sed modum omnium perfectissimum per eum nobis præscripsit.

Hactenus igitur absolvimus partem testimonii Apostolorum unam: Ad alteram pergamus, si prius ea, quæ ab Apostolo interjecta sunt, de testimonio Ioannis Baptistæ, breviter explicaverimus.

## Homilia nona.

**T**ESTIMONIUM igitur Ioannis Baptistæ, qui quartus modus est commendandi Iesu Christi munus, his verbis continetur: *Ioannes testatur de eo, & clamavit dicens: Hic est, de quo dixi, quòd post me veniens, ante me factus est, quia prior me fuit.* ubi primùm observandum est, cur Ioannis Baptistæ nominatim, idque non semel sed aliquoties in hoc capite mentionem faciat Apostolus, testimonium ejus de Iesu Christo repetens. Causa autem proculdubio ista fuit, quam supra in initio attulimus, cum hoc caput explicare cœpimus.

Quid gratia?

Quid veritas?

Cur plenus gratiæ & veritatis?

Cur toties testimonii Ioannis Baptistæ mentionem in hoc capite?

cœpimus, quòd tanta tunc tēporis, quando Evangelii prædicatio cœpit, Ioannis Bapt: esset autoritas, ut periculū esset, ne ille fortasse pro Servatore mundi haberetur. Ideoque ne hoc fieret, sedulo præcavit Ioannes Apostolus, & ipsum Ioannem Bapt:, licet magnus vir fuerit, tamen Servatorem non fuisse, non suo tantum, vel aliorum de eo, sed ipsiusmet Ioannis Bapt: testimonio, non semel repetito, quod coram multis, imò omnibus perhibuerat, probat. Quia verò hodie nullum est periculum, ne Ioannes Bapt: Christo præferatur, & de præstantia Iesu Christi, quâ Ioannem Bapt: superat, suprâ in explicatione v. 6. 7. 8. & 9. non pauca dicta sint, nihil hîc amplius dicemus.

Cur Ioannes B.  
cum clamore te-  
status sit.

Ioan: 7. 28, 37,  
& 12. 44.

Ipsum testimonium Ioannis Bapt. de Christo videamus, quod D. Ioannes cum clamore eum prolocutum esse idè affirmat, ut omnis dubitandi occasio planè præcideretur. Quemadmodum idem etiam Ioannes Apostolus, cū ea, quæ Dominus Iesus pronuntiavit, maximi momenti, & ita pronuntiavit, ut nulla circa ea restaret dubitandi occasio, plærumque addit: Clamavit Iesus, vel clamavit altâ voce. Ob quam etiam causam ita verborum est Ioannes Apostolus in describendis omnibus illis, quæ in testimoniis, quæ de Christo perhibuit Ioannes, acciderant, nimirum loco, & personis, ubi, & coram quibus facta sint, modo item respondendi, quo Ioannes usus est, absque ulla tergiversatione id, quod res est, respondens, & omnia a se removens, quæ Deus ei non concesserat; adè ut mirum id alicui videri jure possit, tantum Apostolum in re non admodum magni alioquin momenti tantum laborem impendisse, nisi hanc causam fuisse quis benè consideret: quâ consideratâ, omnis miratio cessat, & jure id fecisse Ioannem Apostolum, nemo non videt.

Christus tempo-  
re posterior Io-  
anne B. dignita-  
te prior.

Testatus igitur est Ioannes Baptista, Christum fuisse, qui post se venerit, & ante se factus sit, quia prior se fuerit. Quorum verborum sententiam esse suprâ docuimus, Christum, licet tempore posterior Ioanne Bapt: venerit, (a Ioanne enim Baptista cœpit Evangelium, Mar: 1. 1. Act: 1. 22:) factum tamen esse ante Ioannem, hoc est, prius fuisse ipsâ apud Deum Servatorem, quàm Ioannes Baptista præcursor ejus fuerit, quanquam hoc hominibus ignotum fuerit tunc temporis; idque idè ita statuendum esse dixerat Ioannes Bapt:, quia Christus prior, hoc est, præstantior, quoad munus suum, fuerit Ioanne Baptistâ. Hoc modo, secundum quid scilicet, hæc verba intelligenda esse, tota Evangelii analogia postulat; & nemo modum ea ita intelligendi proculdubio rejiceret, nisi jam vulgò crederetur, Iesum Christum esse illum unum Deum, qui ab æterno est. Hinc enim sit, ut nihil non arripiant homines ad se & suam istam sententiam defendendam. Quàm  
invalida

invalida autem sint omnia ad probandam Christi aliquam, quam ab æterno habuerit, divinitatem, quæ hinc excerpuntur, nisi antea ostensum esset, nunc hoc loco ostenderemus. Tota vis in eo est, quòd Christus factus sit ante Ioannem. Quis verò non videt, vocem *Factus est*, multò commodiùs intelligi de eo, quòd factus sit, hoc est, re ipsa constitutus Servator mundi, quàm quòd factus, hoc est, natus sit homo, vel etiam quòd Deus fuerit. Hinc factum est, ut quidam ex ipsis Pontificiis non dubitaverit ea verba sic explicare: *Qui mihi præpositus seu antelatur est*. Quòd verò dicitur Christus prior fuisse Ioanne Baptista, illud de prioritate dignitatis non etiam temporis intelligi posse, primùm hinc patet, quòd vox *prior* sæpenumero non illud, quod tempore prius est, sed quod, licet tempore posterior sit, alia tamen ratione superat alios, significat. Hoc modo Paulus inter peccatores primus, & Moses primus, scilicet prophetarum, appellatur. Deinde idem etiam postulat collatio verborum, quibus reliqui Apostoli testimonium hoc Ioannis describunt, cum verbis his, quibus Ioannes Apostolus illud describit. Quod enim hic dicitur, Christum fuisse priorem Ioanne, id apud Matthæum, Marcum, & Lucam dicitur, eum fuisse Ioanne Baptistâ fortiorem. Fortior autem aliquo is etiam esse potest, qui tempore ipso est posterior. Denique patet id ex eo, si consideretur, de quonam subiecto ista omnia dici debeant. Id autem manifestè apparet ex verbis ejusdem Ioannis Baptistæ, quæ infra v:30. recitantur. Ibi enim Virum eum appellat, quem se priorem fuisse affirmat. Vir autem non potuit prior esse Ioanne, nisi dignitate; cùm constet, virum Iesum Christum tempore fuisse posteriorem Ioanne, tum quoad nativitatem, tum quoad missionem & muneris obitorem. Hæc sunt, quæ quàm brevissimè fieri potuit, de testimonio Ioannis Baptistæ dicere voluimus. Ex quibus apparet, quòd Ioannes Baptistæ se ipsum pro Servatore non venditaverit, sed Iesum Dominum illum esse manifestè testatus sit, & Iesum sibi simpliciter & apertè prætulerit. Vnde concludit D. Ioannes suam thesin, quæ est, quòd Solus Iesus sit Christus Servator mundi, & nemo præter vel ante eum.

Teneamus igitur hoc firmissimè, & de Iesu Christo sentiamus magnificentissimè. Reliquis multa tribuamus: soli autem Christo omnia, quæ ad nostram salutem pertinent.

Canus.

1. Tim: 1. 15.  
Rom: 10. 39.

## Homilia decima.

**N**VNC revertimur ad ea, quæ suprà explicare cœpimus, quæ pro altera parte testimonii Apostolorum habenda sunt: nisi quoddam fortasse verba sequentia, Et ex plenitudine ejus *Nos omnes* accepimus, ipsum etiam Ioannem Baptistam suo modo includere possunt, & propterea etiam, ut scilicet is includi posset, mentio ejus priùs facta est. Notandum autem est, licet solus Ioannes hæc locutus sit vel scripserit, tamen de omnibus Apostolis illud intelligi jure posse, quod hîc de Iesu Christo prædicat, ut scilicet, conclusurus argumenta sua, quibus Christi muneris præstantiam ostendere conatus est, suo & aliorum Apostolorum autoritate ea de illo prædicet, quæ eum verè talem esse demonstrant, qualem eum hæctenus Ioannes esse docuerat. Commendat autem eum per collationem rei, quam Iesus revelavit, cum re omnium divinissima, qualis fuit Lex Mosis. Perficit autem hoc totum tribus modis. Primùm enim rem, qua Christum commendat, proponit, deinde confirmat, & tandem eandem amplificat & illustrat. Proponit hoc modo: *Ex ejus plenitudine nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* Plenitudo Christi est perfectio ejus rei, cujus revelandæ & dandæ causâ Christus in mundum missus fuit. Ea fuit salus humani generis. Quodcunque igitur docuit Ioannes Baptistam, quodcunque docuere omnes Apostoli, quodcunque denique tunc temporis habebant omnes Christiani, illud totum pertinebat ad Christi istam præstantiam exaggerandam. Rivuli erant ista omnia, qui ex ingenti illo & perenni flumine derivati manabant. Nisi Christus futurus fuisset, nunquam fuisset Ioannes Baptista. Quid enim opus præcursore, ubi nullus magnus Legatus? Nisi Christus fuisset, nullam neque Apostoli neque alii homines istarum rerum, quarum nunc habent, cognitionem habuissent, nec habere potuissent. Quicquid scientiæ, quicquid spei in hominibus fuit ab initio Evangelii, illud totum vel ex Christi sapientiâ, quâ, dum in terris degebat, præditus erat, pendeat; vel ex illius potentia, quâ, posteaquam in caelos ascendit, præditus fuit, manabat, & quasi profluabat. Ob quam causam dicitur etiam Christus, *Implens omnia in omnibus, & Ecclesia dicitur ejus plenitudo.* Quia scilicet omnia, quæcunque ad Ecclesiam ejus & omnia ejus membra quocunque modo pertinent, ab eo omnia proficiuntur.

Plenitudo Christi  
quid.

Ph. i. v. ult.

*Gratiam pro gratia*, hoc est, gratiam singularissimam, quæ collata

lata cum alia gratia, verè gratia est, alia verò umbra tantùm hujus est.

Deinde hanc propositionem confirmat : *Lex enim per Moſen data eſt. Gratia & veritas per Ieſum Chriſtũ facta eſt.* Evangelio excepto, nihil tunc erat, nec olim fuerat, in quo gratia Dei apparuerit, nedum eâ præſtantior, ſed nec ei par, quam Deus in Lege revelârat, & eam ſervantibus promiſerat. Præterquam enim, quòd expreſſè omnibus & ſingulis commoda terrena abundè promittebantur, quæ aliis, qui eam non habebant ſibi latam, non dabantur, imò ſapiffimè ab ipſo Deo eis adimebantur, & ipſi omnibus illis unà cum ipſa vita privabantur, reſervârat Deus donum illud immortalitatis, quod omnibus daturus erat, quicumque Legem provirili obſervaffent; & ejuſdem etiam immortalitatis guſtum quendam, pro ſua ſingulari benignitate, interdum in animis quorundam excitabat; cultum etiam ſingularem, de quo conſtabat, quòd Deo eſſet acceptus, in Lege revelârat, & præſcripſerat, quem quicumque nesciebant, ii omnes fruſtrà Deum colebant, & quodcunque ad cultum Dei pertinens ab hominibus conſingi poterat, totum illud erat irritum. Hoc verò totum, quodcunque Lex in ſe continet, data per Moſen, ſi comparetur cum doctrina, quæ per Ieſum Chriſtum tradita eſt, ita evaneſcit, ut non niſi improprie & imperfectè ea, quæ in ipſa continentur, Gratia & Veritas appellentur, & quidvis aliud potiùs ſint, quàm Gratia & Veritas: cùm ea, quæ in Evangelio continètur, poſſint ex antitheſi appellari Gratia & Veritas. Vnde apparet, quàm verum ſit, accepiffe nos omnes gratiam pro gratia, hoc eſt, gratiã multò majorè, quàm unquam antea fuit.

Notandum autem hîc in primis illud eſt, quòd D. Ioannes, qui per verborum quædam involucria & tropoſ hætenus de Chriſto locutus fuerat, Sermonem eum appellando, jam tandem erumpat, & in lucem producat mentem ſuam, dum iſtum Sermonem dicit fuiſſe Ieſum Chriſtum. Vndè jure concludi poteſt, Ieſum Chriſtum fuiſſe in principio, fuiſſe apud Deum, fuiſſe Deum; per Ieſum Chriſtum facta eſſe omnia, & ſine Ieſu Chriſto nihil factum eſſe, quod factum; in Ieſu Chriſto fuiſſe vitam; Ieſum Chriſtum eſſe Lucem illam quæ illuminat omnem hominem, veniens in mundum; Ieſum Chriſtum fuiſſe in mundo; per Ieſum Chriſtum mundum fuiſſe factum; Ieſum Chriſtum dediſſe poteſtatem eis, qui ſe receperunt, ut filii Dei fierent; Ieſum Chriſtum fuiſſe carnem, & unigenitum illum Dei filium, plenum gratia & veritate. At Ieſus Chriſtus nemo alius eſt, niſi homo ille, qui ex Spiritu ſancto conceptus, & ex virgine Maria natus fu-

Præſtantia Evan-  
gelii præ lege.

Sermo nemo ali-  
us eſt, quàm Ie-  
ſus Chriſtus.

Luci. 37.  
Act. 10. 38.

1. Tim. 2. 5.  
Rom. 5. 15.

it. Hoc enim nomen datum fuit ei, quem virgo Maria conceptura & paritura erat: Iesum etiam Nazarenum, virum potentem factis & sermone, unxit Deus Spiritu suo sancto præ consortibus ejus. Et sic ipse D. Paulus de Iesu Christo loquitur: unus est mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus. & alibi: *Si unius delicto multi mortui sunt; multo magis gratia Dei & donum in gratia unius hominis Iesu Christi in multos abundavit.* Ergo homo, & præter vel ante eum nemo alius, fuit in principio apud Deum, & Deus; per hominem facta omnia, per hominem mundus factus; in homine vita fuit; homo caro fuit; homo unigenitus Dei filius est. Et mirum est, quòd ita excæcati hætenus homines fuerint, ut non animadvertentes hoc, de alio quodam omnia ista, quæ in initio hujus capituli habentur, dici existimaverint: de Iesu verò Christo, hoc est, homine nato ex virgine Maria, non nisi per modum loquendi; hoc est, quòd ea, quæ dicuntur propriè de persona ista Trinitatis secunda, per Communicationem idiomaticam possint etiam dici de Iesu Christo. Cùm tamen istius loquendi modi nullum neque hic neque alibi in sacris literis extet vestigium & propriissimè ista omnia de Christo Iesu homine dici, manifestissimè constet.

Cur Evangelium  
gratia appellatur.

Rom 6. 14.

Esa: 49. 8.

2. Cor. 6. 2.

Deinde verò videndum est: *Quare* hisce titulis Evangelica doctrina ornetur, quòd sit Gratia & veritas. *Gratia* appellatur, ratione ejus, quòd contineat promissum summi boni, quod est Immortalitas, cujus nulla extabat promissio aperta in Lege; & quòd hoc promissio Deus sub Evangelio nos ad se alliciat, & in officio ut plurimum contineat. Sub Lege promissio hujus nulla erat aperta mentio: interim homines ad Deum alliciebantur, & in officio continebantur ut plurimum minis & metu. Vnde etiam ita hoc inolevit, ut totum illud tempus, quo Lex duravit, dicatur tempus Metùs, & Servitutis: Hoc verò tempus, quo durat Evangelium, simpliciter Gratia appelletur, respectu scilicet istius Legis. Sic enim ait Apostolus: *Peccatum vobis non dominabitur, quia non estis sub Lege, sed sub gratia.* Et quod in propheta habetur: *Tempore accepto exaudi te; in die salutis adjuri te,* hoc Paulus quodammodo negat tunc fuisse impletum, cum illud propheta loqueretur, ideoque mox addit: *Ecce nunc [est] tempus acceptum, ecce nunc [est] dies salutis.* Ecce, inquit, ut attentos lectores faceret, *Nunc*, hoc est, revelato Evangelio, verè & propriè est tempus acceptum & dies salutis.

Hinc igitur animi nostri consolatione implendi sunt, & gaudendum est tantâ felicitate in Domino. Alta voce cantandum illud est:  
Non

Non taliter fecit omni nationi, sicut nobis; nobis revelavit Deus suam voluntatem. Psal. 147. 9.

*Veritas* etiam appellatur: i. propter certitudinem, quam habent promissa Evangelica: deinde propter præceptorum perfectionem. promissa enim Evangelii ita sunt confirmata a Deo, ut nihil eorum, quæ unquam extitère, & quæ ipse Deus fecit, certius unquam fuerit, atque sunt promissa Dei per Iesum Christum exhibita. Reliquorum omnium, quæ Deus unquam promisit, certitudo tantum ex eo pendeat, quod Deus ea promiserat, qui mentiri non potest, & miraculis etiam in eum finem editis istud confirmârat: at ea, quæ promittit Evangelium, sunt ita confirmata, ut magis confirmati vix potuerint. Nam præter promissum Dei apertissimum, Christi innocentiam, & miracula, ecce est Christi mors, quæ est testimonium infallibile ejus, cujus causâ ea facta est. Facta autem est ad confirmandum promissa Dei. Vnde Christi sanguis, Sanguis novi fœderis appellatur. Ecce est Christi resurrectio, et exaltatio. Consecutus est id, quod nobis promisit, is, qui fidei nostræ dux & autor est, & ita consecutus est, ut nunquam illud amissurus sit. Ecce denique est divina Christi potentia. Potest is, qui factus est immortalis, dare omnibus, qui in eum credunt, eandem immortalitatem. Moses, qui Christi erat typus, & omnium præcipuus, in quo, quid Deus per Christum nobiscum egit, adumbratum fuit, promisit Israëlitis terram Chananæam, & certis quibusdam miraculis rei istius veritatem demonstravit: sed nec ipse in terram promissam ingressus est, nedum ut potestatem illuc alios introducendi consecutus sit. Atque ita, quantum habebant adjumenti Israëlita ad fidem Deo habendam ex iis, quæ Moses dixerat & fecerat: tantum impediendi ex illis, quæ postea Mosis acciderunt, habere poterant, ad non credendum. Quod enim Mosis duci suo accidisse viderunt, illud ipsum sibi etiam, & tantò magis sibi, quàm Mosis, quantò erant Mose inferiores, evenire posse, facillimè colligere poterant. Veritas igitur est Christi doctrina; veritas ipsa, sunt Christi promissa. Nam primus eorum præco, possessor & dominus illorum est. Nec potest incerta ista esse religio; imò nulla certior religio esse potest eâ, quæ talè habet mediatorè, ad eò ut aut nulla sit religio, aut hæc nostra Christiana vera sit. Poterant quidem plura fieri, quæ multò magis veritatem hujus Religionis docuissent, de quibus nunc non est dicendi locus: sed ista omnia religionè sustulissent, hoc est, conatum Deo credendi, & vim quodammodo hominibus intulissent. Voluit autem Deus semper extare occasionem exercendi erga se fidem & religionem, ut ita animi hominum, latentes alioquin & involuti, in lucem prodirent,

Cur Evangelium veritas appellatur. 1. Causa.

Cur non omnia facta sint, quæ fieri poterant, ad veritatem Evangelii demonstrandam,

rent, & tantum illi fervarentur, qui probi sunt & sanabiles: reliqui autem iusto Dei iudicio aeternum perirent.

Adhortatio.

Adhortamur igitur vos, fratres charissimi, ut veritatem & certitudinem religionis vestrae, & promissorum, quae secum fert, considerare velitis. Hoc enim verum in vobis studium & amorem istius religionis excitare & fovere poterit; imò hoc solum est, quod vos religiosos efficere potest, seria scilicet consideratio ejus, quam sine pretiosa, & quam sine certa, quae nostra religio proponit, promissa.

2. Causa.

Deinde etiam Veritas appellatur doctrina Evangelica, propter praecceptorum, quae tradit, perfectionem. Et opponitur non falsis praecceptis, sed umbris praecceptorum, quae in Lege continebantur. Revera enim omnia ista, quae Lex ceremonialis continebat, umbra tantum fuere verae pietatis. Quia per carnem perfici poterant, animus autem hominis nunquam reformabant. Quae vero ista est pietas, quae mentem non tangit? Haec igitur omnia rejecit Deus per Iesum Christum, & ea tantum Legis praeccepta reliquit, quae mores & mentem respicerent, eaque, quia mentem non perfecte reformare poterant, ita auxit & perfecit, ut, si quis isto modo Deo obediat, quem Dominus Iesus praecipit, is verè & solide pius & religiosus esse dici possit. Accedit enim ad ipsum Deum quam proximè. Haec autem perfectio in eo potissimum consistit, quod in primis Deus velit animos nostros ita esse reformatos, ut aliud nihil sperent & sperent, quam vitam immortalem, ut contemnant ea omnia, quae mundus habet, bona aspectabilia, atque ita toti sint Deo dediti & consecrati. Quam ob causam Christus cum veritate etiam Spiritum conjunxit, dum infra cum muliere Samaritana colloquens ait: *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate*, per Spiritum intelligens causam vel sedem istius Veri Dei cultus, quae est Mens humana, & ejus reformatio & illustratio. Vbi enim mens illustrata est, ibi feliciter reliqua omnia succedent, ibi facile erit Deo obedire. Quod totum iterum dupliciter considerari potest: 1. ut ea, quae per se mala sunt, odio habeamus: talia autem sunt omnia, quae Christus vel expressè & explicitè, vel etiam implicitè prohibuit; & ut ea, quae per se mala non sunt, possunt tamen mala fieri, contemnamus. Hinc studium vitandi omnia peccata, hinc desiderium faciendi omnia bona opera, sponte sua pullulabit, hinc ipsissima & verissima pietas tandem nascetur & emerget.

Joan: 4. 23.

Spiritus & veritas quomodo juncta.

Exhortemur hinc nunc nos ipsos ad amorem Christianae religionis, quae veram nobis proponit pietatem, & veram ex ea pietatem discamus; quam ita munire oportet, ne vel in superstitionem, vel dissolutionem.



solutionem degeneret. Hi enim sunt duo perpetui hostes religionis. Qui parùm sunt prudentes, ii in transversum rapiuntur, ut ea pro vera religione habeant & pietatis particulis, quæ nihil cum ea, quatenus Christiana est, commune habent, ad umbram scilicet istam, quæ olim in Lege erat, declinantes. Hoc faciunt, qui rebus externis plus æquo tribuunt; et hi plerumque vana pietatis specie inflati, raro ad frugem redeunt. Videntur enim, si moneantur, a fervore religionis ad teporem quendam revocari; & eos, qui hoc faciunt, pro hominibus parùm religiosis habent. Qui verò sunt parùm probi, ii præcipites feruntur, ut, quæ vel apertè prohibita sunt, pro peccatis non habeant, vel ea, quæ prohibita non sunt, licere & libera esse credant, etiam si, cum fidei analogia ea pugnare, demonstratur. Et hi plerumque carnis cupiditate excæcantur, & difficulter etiam ad verum tramitem reducuntur: facilius tamen, quàm isti superstitiosi. Nam si sint sanabiles, facilè agnoscent, ea, quæ contraria legi sunt divinæ, esse abjicienda, nec tot speciosas peccatorum suorum excusationes afferre poterunt, quot illi, quos superstitio excæcavit. præstat tamen semper ab utroque hoc extremo quàm liberissimum esse. Medium tenuere beati: sed pauci, quos æquus ita Deus amavit. Difficile est, viam istam mediam invenire, ut quis in veritate Deum colat & eidem serviat: difficilius per eam ingredi: difficillimum verò eam constanter tenere. Sed tamen audendum est, & nihil non faciendum, ut vera semper religio obtineat: quæ verò circa eam extrema sunt, summo cum studio vitanda.

Tandem etiam notandum est, quòd ait D. Ioannes, Veritatem & gratiam per Iesum Christum factam esse. Hoc enim loquendi modo ostendit, non, quòd antea Gratia ista & Veritas non extiterit. fuerunt enim proculdubio apud Deum, ut alibi docet idem Ioannes, dum ait: *Illam vitam* (quæ est illa Gratia) *fuisse apud Deum, & deinde manifestatam esse.* Sed tantùm docet, quòd hominibus per Iesum Christum primùm revelata sit, & quoad homines, qui antè eam nedum ad se pertinere, sed nec esse quidem sciebant, facta. Simili loquendi modo supra eum usum fuisse indicavimus v: 10. in illis verbis, *Et mundus per eum factus est*, si scilicet vocabulum Mundi, de mundo futuro intelligatur. Et opponuntur hæc verba illis, *Lex per Moysen data est.* Cujus rei causa hæc esse videtur, quòd ea, quæ in lege continentur, bona ex parte antea nota fuerint, quàm lege includerentur. Terrena enim felicitas humanæ etiam industria opus est: præcepta verò, quæ ad virtutes pertinent, ex lumine naturali ferè omnia pendent: At quæ in Evangelio continentur,

Extrema verò  
pietatis.

Quomodo gratia  
& veritas facta  
sint per Christum.

1. Ioan: 1. 1.

ea prorsus incognita fuerant antea, & ita per Christum patefacta, ac si antea nunquam re ipsa fuissent. Quod ipsum ad Christi præstantiam indicandam plurimum pertinet: quod scilicet isto modo Gratiam & Veritatem revelarit, ac si ab ipso primum extare cœpisset. Christus enim est, qui primus hominibus viam & rationem Deo serviendi præscripsit; & qui tandem gratiam & immortalitatem eis donaturus est. Nolumus autem hinc repetere illud, quod suprâ v: 4. prolixè a nobis demonstratum fuit, quod vita æterna per Iesum Christum revelari primum cœperit, & ante eum nemini mortalium promissa a Deo fuerit. Hoc enim jam vobis per Dei gratiam satis superque notum est.

Pergimus ad ultima, quæ nobis explicanda in hoc capite proposueramus, verba, quæ præcedentium quædam quasi explicatio & illustratio sunt, & ita habent: *Deum nemo vidit unquam, & unigenitus ille filius Dei, qui est in sinu Patris, ille revelavit.* Quorum verborum sensus hic est: Tanta est gratia & veritas Evangelii, ut illi homines, quibus id revelatum est, etiamsi Deum nunquam viderint, & sic per visionem ejus non contigerit eis ipsum Deum cognoscere, tamen per filii Dei enarrationem Dei cognitionem veram consecuti sint.

Dei visio est, eius cognitio.

Deum videre est, cognoscere ejus voluntatem. Nec ullo alio modo cognosci ab hominibus mortalibus potest Deus, nisi quatenus ejus voluntas hominibus patet: & ubicunque de visione Dei sermo est, plerumque de cognitione voluntatis ejus sermonem esse, certè statuendum est. Hinc Christus etiam dixit: *Qui videt me, videt & Patrem meum.* Quod de persona vel essentia divina intelligi non posse, manifestum est. Falsissimum enim est, Christi humanitate conspecta (divinitas enim conspici non potuit) Patris personam conspectam fuisse, cum ea sit inaspectabilis: verissimum autem est, conspectis Christi miraculis, conspectam fuisse ipsius Patris majestatem & divinitatem; auditâ Christi doctrinâ, auditam fuisse ipsius Dei Patris voluntatem, ut ibidem ipse Christus id explicat. Ea autem isto modo per Christum patefacta est, ut eam nemo unquam antea ita cognoverit.

Ioan: 14, 9.

Ioan: 14, 10.

Idem est sermo, qui unigenitus Dei filius.

Notandum autem est iterum, quod, quem suprâ appellaverat Iesum Christum, eum hinc unigenitum illum filium Dei appellat. Unde confirmatur id, quod paulò antè diximus in explicatione v: 13. Iesum scilicet Christum hominem, & neminem alium præter vel ante eum, esse illum unigenitum Dei filium. Quæ verò addit, *Qui est in sinu Patris*, ea nostram explicationem confirmant, quam hujus vocis attule-

attuleramus, quæ est, quòd idem Iesus Christus unigenitus Dei filius dicatur, quòd sit charissimus, quem scilicet solum & primum Deus hæredem suum constituit. Nemo enim non videt, Esse in alicujus sinu, aliud nihil esse, quàm ab aliquo foveri tanquam rem dilectissimam. Sic loquitur Propheta Nathan ad David, cum ei peccatum illius tacitè depingeret, quàm grave esset, quòd scilicet pauper habuerit unam tantum ovem, & descripturus quàm chara ei fuerit, addit, quòd illà emerit, & nutritur, quodq; illa creverit apud eum cū filiis ejus simul, de pane illius comedens, & de calice ejus bibens, & in sinu ejus dormiens. Vide etiam Num. 11. 12. Deut. 13. 6. Hinc etiam ipse D. Ioannes, quia Christo erat charus adeò, ut hac periphrafi se ipsum describeret, Discipulus quem Dominus amabat, dicitur recubuisse ad pectus Iesu Christi, quod simile aliquid erat huic, cujus hoc in loco fit mentio. Notandum est autem, Ioannem hoc tunc temporis scripsisse, cū Christus jam in cœlis esset. Tunc enim perfectissimè Deo charissimus erat, & verè in sinu ipsius quiescebat.

Pudet me hinc denuo referre nugas adversariorum, qui ex eo, quòd Christus hoc in loco dicitur fuisse in sinu Patris, nescio qua subtilitate, colligunt, eum esse natum ex substantia Patris, & Spiritum S. hoc modo castè voluisse istam generationem exprimere. Pudet me, inquam, referre ista. Nam talia sunt, quæ, si audiat homo cordatus, vix non potest non indignari, religionem Christianam ita profanari, & ridendam propinari omnibus illius hostibus, quasi scilicet hujusmodi monstruosas opiniones doceat. Sed præterea non est omnium ista opinatio. Reliqui enim magis sobriè hac de re sentiunt. Quamquam interim non minùs errant ii, qui hinc unionem Christi cum Patre, quoad essentiam, demonstrari putant. Nam quòd ajunt, eum, qui Deum velit videre, necesse esse, ut sit ipse Deus, cū unus Deus se ipsum videat, ideoque un⁹ se ipsum possit patefacere. Primum ex eo, quòd nemo Deū vidit, non sequitur, Christū hominē eum non vidisse. Potuit enim hoc Christo dari, quod nemini datum fuit unquam, Quia scilicet præ omnibus hominibus singularissimum aliquid erat Christus. Neque dum dicitur, neminem Deum videre posse, affirmatur, Deum non posse efficere, ut homo se videat: sed tantum natura rei consideratur, quæ talis est, ut homo, naturā suā ad aspiciendum Deum planè ineptus sit: At si Deus velit, non puto futurum aliquem, qui illud fieri ad tempus saltem posse neget. Hinc Christus ipse de se dicit, quòd Patrem viderit. Deinde quòd ad illud attinet, quòd unus Deus se ipsum videat, hoc nos illis relinquimus rimandum, qui veritatem Evangelicam metiuntur ex vanitate cerebri humani. Sunt enim

Quid sit, in sinu  
alicujus esse.

2. Reg. 12. 8.

Ioan. 13. 23.  
& 21. 20.

Errorum refutatio.

Beza.

Ioan. 6. 46.

nim hujusmodi loquendi modi aded atheologi, ut nemini unquam, qui religionem Christianam alios docuere, in mentem venerint. *Tota autem ista vana subtilitas inde orta est, & in hunc finem confecta, ut error, quem homines de visione Dei, nempe de visione essentiae Dei, conceperant, sustineri posset. Cum verò hæc visio Dei ad salutem humanam revelandam & confirmandam necessaria non sit, nec etiam ejusulla mentio fiat in sacris literis, frustra est, quicquid hac de re, quantumvis speciosè, dicitur.*

Quæ vis sit vocis  
narravit.

Quæ denique ultima addit verba, *ille enarravit*, explicant, quomodo per eum veritas & gratia facta sint, quod scilicet Christus Iesus non simpliciter semel atque iterum ea pronuntiavit, quæ ad istam Dei voluntatem spectabant: sed quod creberrimè & sufficientissimè ea, quæ semel atque iterum dixerat, repetierit, & illustravit, ita ut nemo de illis dubitare posset. Variis enim modis Iesus Christus, tum quid nobis Deus promiserit, tum quid præceperit, explicavit, & nihil non fecit, ut illa omnia mentibus hominum essent quàm maximè infixæ. Et sanè effectus hujus tanti laboris Christi apparet manifestissimus. Plurimæ fuere hominum myriades, qui ita constanter crediderunt, vitam æternam sibi dandam esse, quam tamen nunquam viderant, ac si eam oculis suis vidissent, & propterea spretis omnibus hujus mundi voluptatibus & commodis, vitæ sanctitati sese eos emanciparunt, & vitam suam profundere maluerunt, quàm vel latum unguem ab ea discedere. Unde verò tanta fuit persuasio & fiducia, nisi ex eo, quod Iesus Christus apertissimè, creberrimè, & sufficientissimè proposuit, annunciavit, & confirmavit, omnes eos, qui Deo serviunt secundum præcepta a se tradita, certò tandem consecuturos vitam illam æternam. Ita omnia, quæcunque pertinent ad Christi munus propheticum, verbis emphaticis expressit Apostolus. *Charissimus Dei filius fuit, qui nobis divinam voluntatem de salute nostra revelavit: Voluntas ista revelata fuit perfectissima: Revelatio etiam fuit efficacissima & certissima.* Atque hæc sunt, quæ pro mea tenuitate de his tam sacrosanctis verbis D. Joannis ad vos hoc tempore dicere visum fuit; quorum hic unus finis est, ut doceatur, *Solum Iesum esse verè Christum, & Servatorem mundi.*

Faxit Deus omnipotens, ut verè cognoscamus talem & tantum Servatorem nostrum, Iesum Christum, & eo cognito, ipsum Deum; ut fidem adhibeamus promissis ejus divinis, & omnem vitam nostram ad præcepta ejus sanctissima conformemus, atque ita veram salutem animarum tandem recipiamus per eum consequamur:

*Cui sit laus & gloria, unà cum Patre, in omnia secula. Amen.*

## P A R A P H R A S I S

## In initium primi Capitis Evangelii

## D. I O A N N I S.

**P**ostquam mihi etiam, ut aliis Christi Apostolis & Discipulis, propositum est describere ea, quæ ad Iesu Christi Servatoris nostri Evangelium pertinent, operæ precium me facturum arbitror, si, priusquam ad ipsam Evangelii historiam descendam, demonstrarem certis rationibus, & testimoniis hominum fide dignorum, hunc Iesum, cujus Evangelium describere aggredior, & neminem alium, esse ipsum Christum, & Servatorem mundi, ne scilicet quis denudè ea de re dubitet, de qua in ipso Evangelii initio dubitatio quædam exorta fuerat. Tanta enim erat Ioannis Baptistæ autoritas, tanta majestas, ut vulgò omnes crederent, eum esse ipsum Messiam. Sic ergò rem aggredior, sic, quod probandum mihi proposui, probò: Nemo alius pro Servatore mundi agnosci debet, præter Iesum. Quamvis enim initium Evangelii jure censeatur ab eo tempore, quo Ioannes Baptista docere cœpit, & propterea Ioannes Baptista præferri possit Domino Iesu; vel saltem aliqua ea de re dubitatio in animo alicujus oriri, ex eo, quòd non priùs Dominus Iesus docere inceperit, quàm Ioannes Baptista: tamen omninò statuendum est, tunc temporis, in ipso initio Evangelii, jam re ipsâ extitisse eum, qui Servator mundi futurus erat; & ideò, quia is tunc extabat, missus fuit Ioannes Baptista tanquam præcursor. Servatorem autem mundi libet nominare vocabulo *Sermonis*, ut una voce & nomen ejus, & munus comprehendam. (Dum autem dico simpliciter *Sermo*, intelligendum est, me de sermone Dei loqui.) Quemadmodum enim per sermonem hominis, voluntas ejus patet: sic etiam per Christum voluntas Dei patefacta est; vel, quia sermonem, hoc est, voluntatem Dei nobis Iesus patefecit, & enarravit id, quod nemo antea cognoverat, ideò nomen ejus rei fortitur, quam primus revelavit. Quoniam igitur prior fuit Ioanne Baptista Dominus Iesus, & priùs ad munus suum destinatus, quàm Ioannes, hinc apparere potest, Ioannem non esse potiorem Domino Iesu. Semper enim id, propter quod aliud est, præstat eo, quod alterius causa est.

Ne verò ex eo in dubitatione hærendi occasionem aliquis habeat, quòd Dominus Iesus non priùs innotuerit, quàm Ioannes Ba-

Luc: 3. 16.

Mar: 1. 2.

In principio erat  
Sermo ille.

Apo: 1. 14.

Et Sermo ille e-  
rat apud Deum.

ptista, & credat, eum esse digniorem, qui prius innotescit; sciendum est, Dominum Iesum jam tunc reipsa fuisse Sermonem illum, etiam si hominibus hoc nondum cognitum esset, nisi fortasse paucissimis, idque obscurissimè. Notus enim jam erat Deo, quod in hac re satis est. Quòd autem Deus voluerit prius innotescere Ioannem, quàm Iesum, hoc ipsum pertinet ad Domini Iesu præstantiam. Non solet enim mitti magnus legatus unâ cum præcursore, sed prius mittitur præcursor, & ex præstantia præcursoris præstantia legati colligitur. Per id autem tempus, quo soli Deo cognitus fuit, cum Deo etiam ipse conversatus est, & ab eodem omnia ea immediatè didicit, quæ hominibus deinceps revelavit. Voluit enim Deus Dominum Iesum modo omnium perfectissimo, doctrinam omnium perfectissimam discere, nempe non per visionem, non per Angelum, sed ab ipso Deo.

Et Deus erat Sermo ille.

Is porro magnus legatus, qui ab initio jam reipsa quidem erat, nondum tamen innotuerat, quemadmodum cum Deo conversatus, & ab eo edoctus fuerat: ita quoad munus suum, totus erat divinus. Omnia in eo divina relucebant. Verè enim Deo dignam doctrinâ afferebat: Deo digna promissa, Deo digna præcepta; Deo dignam vitam agebat; Deo digna edebat miracula; Deo dignâ præditus erat sapientiâ, & personam Dei tunc quodammodo repræsentabat; verè etiam Deo digna erat ista gloria & potentia, cui tunc temporis destinatus erat, & quam, posteaquam eum Deus a mortuis resuscitavit, est consecutus, quamque eum consecutum esse nunc omnes scimus & gloriamur, quæ tanta est, ut vices Dei sustinere & gerere dici possit. Quæ tanta ejus Divinitas facit, ut omnium aliorum Prophetarum, & ipsius etiam Ioannis Baptistæ maximi omnium, munera, & omnia ad illa pertinentia, respectu hujus muneris Domini Iesu fuerint aliquid humanum & terrestre: solum Christi munus Divinitatem singularem spirabat.

Ioan: 3. 31.

Hic erat in principio apud Deum.

Hunc autem, quem Divinitatis titulo modò decoravi, ne quis propterea minoris, quàm par est, faciat, quòd posterior Ioanne Baptista docuit, & tunc, cùm Ioannes venit, hominibus incognitus fuit, iterum dico, tunc in ipso principio Evangelii soli Deo cognitum, vel cum ipso etiam Deo tunc temporis conversatum fuisse. Quod si apud aliquem Christo aliquid detrahit, apud me & omnes ejus discipulos plurimum ei autoritatis conciliat: quòd is solus talis & tantus fuerit, quem Deus solus cognitum haberet, & quem nemini statim in initio Evangelii cognitum esse voluerit; & qui cum ipso Deo conversatus sit. Nam quæ soli Deo cognita

Matth: 11. 27.

gnita sunt, non possunt non esse singularissima & divinissima; & cum Deo conversari nemo potest, nisi singularissimus & divinissimus.

Vt verò amplius Divinitas Servatoris hujus nostri appareat, pauca hæc, quæ nunc dicturus sum, considerentur: Quæcunque ad novum fœdus, ad Evangelium & regnum ejus pertinebant, omnia, Deo ita volente & procurante, ejus ministerio facta sunt. Is enim primus & solus Evangelium annunciavit; primus & solus idem perfectissimè per infinita miracula confirmavit; solus & primus tantam annunciandi & confirmandi Evangelium molem sustinuit. Quæcunque Ioannes Baptista docuerat, ea præludium potius Evangelii, quàm Evangelium ipsum dicenda sunt: quæ verò alii unà cum eo in Evangelio promovendo fecere, ea omnia, eo sic jubente, & eos sic instruente, facta sunt.

Et si quid ad Evangelium & regnum ejus pertinens, factum est eo modo, ut ipse præsens & in persona sua id non effecerit, sed per alios, nempe Apostolos, qui post Christi exaltationem quædam fecerunt, ad Evangelium & regnum Christi pertinentia, qualia sunt, vocatio gentium, abrogatio legis ceremonialis, donatio donorum spiritualium: id tamen totum, quod ea in re factum est, non fuit factum sine illo. Is enim Apostolos ad hoc elegit, & potestatem ista faciendi eis dedit, adeò ut ipsi Christo jure ea omnia tribui possint, & hinc ipsius summa præstantia, & id, quod probandum sumpsit, agnosci debeat, eum scilicet esse Servatorem mundi, qui, dum hinc in terris ageret mortalis, omnia primus & solus administravit, quæ ad novum fœdus revelandum & confirmandum pertinebant; a mortuis verò resuscitatus, & supra omnes cælos exaltatus, idem etiam per suos Apostolos perfecit.

Quemadmodum autem maxima fuit ipsius D. Iesu magnificentia & præstantia: sic porrò etiam summum & incomparabile bonum & beneficium per eum toti mundo revelatum est. In ipsius enim Evangelio res omnium desiderabilissima continetur: non terra Chanaan, aut terrena bona: sed vita illa, nempe æterna, quæ verè vita est, & cujus respectu hæc vita umbra tantùm vitæ est. In Evangelio tantum bonum annunciatur & promittitur; in ipso etiam Christo tantum bonum consistebat & quiescebat. Omnes enim tandem per eundem, qui vitam hanc annunciavit & promisit, vitam illam reipsa consecuturi sunt. Illud verò tantum bonum, non tantùm per se bonum erat, sed etiam aliis bonum. Hominum enim, ad quos Christus tunc pervenit, mentes ita illustravit tanti

Omnia per eum  
facta sunt.

Et sine ipso factum est nihil, quod factum est.

In ipso erat vitæ.

Et vitæ erat lux hominum.

boni cognitio, ut sibi visi fuerint ex densissimis tenebris in clarissimam lucem producti. Nihil enim tale antea, nedum homines extranei, verum etiam neque Iudæi unquam sibi certo polliceri poterant: sed per omne vitæ tempus morti erant obnoxii, & meta mortis perpetuò detinebantur; ita ut hominibus verè novum aliquod nuncium acciderit, dum tantum sibi bonum annunciari & promitti audiverunt. Erant enim non tantum mortales, verum etiam propriam suam culpam digni aeterna morte. Atque ita etiam accidit, ut, quia volebant animam applicare ad cognoscendum ea, quæ ipsis divinitus offerebantur, ad tantam lucem cæcutirent, & eam amplecti non possent. Quæ omnia singularissimam beneficii divini per Iesum annunciati præstantiam depingunt, utpotè quod nunquam antea quisquam, nedum aliis annunciaverit, aut promiserit, sed neque ipse cognitum habuerit.

Hæc ita perse considerata, quæ omnia in Domino Iesu & Evangelio ejus continentur, ostendunt sanè, qualis & quantus is fuerit: sed si præterea D. Iesus comparetur cum ipso Ioan: Bapt: maximo omnium Prophetarum, multò rectius apparebit, quanta sit ejus divinitas & præstantia. Non potest negari, Ioannem Bapt: fuisse virum divinum, qui ad singulare munus suum ab ipso Deo vocatus, & ab eo ad id perficiendum missus erat, cui nomen etiam conveniens cum re, quam erat acturus, Deus imposuerat, Gratosum scilicet. hoc enim sonat Ioannes. Is verò in eum tantum finem missus fuit, ut de ista tanta luce, quanta erat ipse Iesus, & ejus Evangelium, testaretur, eam propè adesse, & homines hortaretur, ut ad Deum se converterent, & post se venturum magnum legatum reciperent, & ei fidem adhiberent: hæc fuit ista magna Ioannis Bapt: præstantia: Sed tamen non erat Ioannes illa lux, & istud magnum lumen, sed tantum famulus, ad hoc a Deo missus, ut de eo omnibus testatum faceret, quòd is esset illa lux. Dominus Iesus solus erat illa lux vera, & perfecta, quæ, quoad mentem & consilium Dei, omnes homines, nemine excepto, illustrat, & eos cognitione Dei impertit. Id verò nec priùs fecit, nec alio modo, quàm tunc, & eo modo, cum munus illud suum, ad quod divinitus erat destinatus, re ipsa subiit, & hominibus voluntatem divinam annunciare cœpit. Tunc enim verè in mundum venit.

Accidit autem tunc, quod ferè semper aliàs, quando Deus ad homines legatos suos misit, & beneficia sua per eos illis obtulit, ut scilicet non omnes eodem animo & gratitudine reciperent tantum Dei beneficium. Nam quamvis inter homines Dominus Iesus versaretur, & quotidie, non semel atque iterum, sed per aliquot annos cum illis conversaretur; quantumvis etiam summo eosdem beneficio afficere

Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non cõprehenderunt.

Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Ioannes.

Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.

Nõ erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine.

Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem, veniens in mundum.

In mundo fuit.



ficere satageret, nempe ut istos homines ex imperfecto Dei populo faceret perfectissimum, tum quoad cultum, tum quoad spem eorum; quantumvis, ut sic loquar, beata ista immortalitas per eum quodammodo facta sit hominibus, qui scilicet antea eam ad se pertinere nullo modo certo sperare poterant: tamen tanta potissima partis istorum hominum fuit pertinacia, tanta perversitas, ut tantum suum benefactorem agnoscere nollent, sed ipsum pro homine fanatico, doctrinam verò ipsius pro fallaci haberent.

Et ne quis cause tur, Dominum Iesum in speratò ad eos missum esse, & hinc evenisse, ut eum repudiârint: Tenendum est, eum ad illos venisse primùm, ad quos ille, & illi ad eum propriè pertinebant, quibus erat promissus, & quorum erat servus: & tamen tanta illorum fuit superbia, tanta rerum terrenarum, quas scilicet hic Servator eis non promittebat, cupiditas, ut eum non tantùm non reciperent, verùm etiam tanquam hostem Dei, & religionis, execrarentur. Quam eorum tantam impietatem Deus impunità esse tunc temporis voluit, quia nimis multùm misericors, & plenus miseratione est; adeò ut ad eosdem denuo Apostolos Iesu Christi miserit, qui eos ad illum converterent; atque ita tunc demùm eos punivit, cùm jam mensuram nequitiarum adimplevissent.

Interim verò in eos, qui repudiatis omnibus Magistris, & doctrinis, hunc pro perfecto magistro, & hujus doctrinam pro perfectissima receperunt: qui cognita ipsius Divinitate & potentiâ, quam tunc ex parte habuit, perfectam autem deinde consecutus erat, ei confisi, & divino eum honore profecti sunt: qui non majorum suorum originem, quæ, quantumvis præstans & splendida esset, caduca tamen & mortalitatis signum erat, utpote, quæ initium sui habebat admodum exile & parùm honestum, nempe sanguinem, & a cupiditate mera humana proficiscebatur, jactârunt, sed fide adhibita promissis a Christo factis, secundùm ejus præcepta vivere sibi proposuerunt, & in omnibus suis actionibus Deum imitari, & ita ejus sanctitatem, ac si ex eo nati essent, exprimere conati sunt; in eos, inquam, tantum beneficium contulit, ut, quemadmodum sponte suâ filii Dei facti erant, imitando Dei sanctitatem: sic etiam certo certius tandem filii Dei evaderent, consequendo ejus immortalitatem. Ut enim illi sunt Deo similes, & suo modo Dei filii, qui in Christum credunt, & ei obediunt: sic etiam eidem similes, & perfecto modo filii Dei erunt, qui immortales olim evadent.

Nolim autem quenquam existimare, me, dum ista tanta de Domini Iesu præstantia & divinitate commemoro, diversum sentire ab

Et mundus iste per eum factus est.

Et mundus iste non cognovit eum.

In propriam venit.

Et sui eum non receperunt.

Quotquot autem receperunt eum, Credentibus in nomen ejus.

Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt.

dedit eis potestatem filios Dei fieri.

Et sermo ille caro fuit,

eo, quod alii S. scriptores Evangeliorum de Domino Iesu testantur, qui scilicet eum, quoad naturam ipsius, hominem, eumque infirmum & mortalem fuisse, perpetuò inculcant. Idem enim ego de Domino Iesu statuo, & constanter affirmo, Sermonem illum, hætenus tantopere a me commendatum, aliud nihil, quoad suam naturam, fuisse, cum hîc in terris ageret, quàm carnem, hoc est, hominem infirmitatibus obnoxium & mortalem. Quæcunque verò hætenus dixi, ea non de natura, sed de munere ejus dicta esse volo. Rursus verò ne quis propter hoc ipsum, (quales impios jam reperiri audio) Dominum Iesum floccipendat, quòd homo, isque infirmus & mortalis fuerit, necesse fuit toties tantas ejus dignitates & præstantias recensere. Et ampliùs, ut ut naturâ mortalis fuerit, præterquam quòd satis superque se divinum esse omni populo demonstravit: En nos etiam adsumus Apostoli, quorum testimonium fallax vel suspectum esse nullo modo potest. Non enim revelata ab aliis, sed quæ ipsi oculis vidimus, & auribus nostris percepimus, testamur. Inter nos Dominus Iesus quotidie & perpetuò per aliquot annos conversatus est. Aliis se quandoque videndum præbuit: at nos dies noctesque cum eo transigimus, & vidimus gloriam ejus tantam, quanta non nisi charissimi & unici Dei filii esse potest. Omnes enim nos vidimus eum, non tantum dum mortalis esset, divino se modo gerentem in omnibus actionibus suis; verum etiam ex mortuis resuscitatum contemplati sumus, quæ vera est filii Dei charissimi gloria; & cum in caelos transferretur, nos præsentem fuimus, & oculis nostris tantum miraculum aspeximus. Quidam verò nostrum præterea vidimus etiam ejus singularem gloriam tum in miraculis singularibus, ad quæ pauci admittebamur, tum in illo monte sacro, cum facies & vestes ejus coram nobis transfigurarentur, & vox illa magnifica Dei de ipso audiretur: Hic est filius meus ille dilectus, in quo ego acquiesco, hunc audite. Vidimus etiam quidam ea, quæ ipso moriente & mortuo acciderunt longè gloriosissima, quæ & nobis & aliis etiam astantibus testimonio erant, istum hominem verè esse Dei filium. Quid multa dicam? Quicquid gratiæ & benignitatis a Deo sperari, quicquid veræ sanctitatis & integritatis ab eodem præcipi potuit, totum hoc perfecte & integerrimè, & reipsâ in Christo, ejusque Evangelio nobis apparuit.

Quod totum etiam comprobatur testimonio illius, qui maximus omnium Prophetarum, & in eum finem missus erat, ut de eo testimonium perhiberet, nempe Ioh: Bapt: Is enim de eo clara voce testatus est hoc modo: Hic Iesus is erat, de quo ego hætenus dixi: Ego quidem priùs illo veni, ille post me: sed multis modis prælatus est mihi ille

Et habitavit inter nos.

Et vidimus gloriam ejus, gloriâ quasi unigeniti a Patre.

Plenus gratiæ & veritatis.

Ioannes testimonium perhibet de ipso, & clamavit, &c.

hi ille a Deo, quia scilicet ejus munus meo munere longè etiam erat præstantius. Aded, ut dicere jurè possimus, nos omnes, & ipsum Ioannem (suo modo) & Apostolos, & universum Christi populum aliquid tantum accepisse ejus, quod ille plenissimè a Deo consecutus erat. Quicquid Ioannes docuit, quicquid nos Apostoli docuimus, & quicquid per nos alii consequuntur, illud totum, tanquam rivuli, ex fonte illo perenni D. Iesu manat. Is nobis loco istius benignitatis, quæ hæctenus nobis cognita fuit, longè aliam & præstantiorem revelavit. Quod enim hæctenus habuimus pro re omnium divinissima, quam scilicet Deus per Moysen nobis tradidit, nempe lex, ista nescio quomodo obscurata evanescit quodammodo, & nulla ferè ejus promissa & præcepta esse videntur, si comparentur cum promissis & præceptis Evangelii. Promissa enim qualia habebat vetus fœdus, terrena & temporalia, carnalia item & ceremonialia præcepta, qualia erant legis pleraque, umbra tantum sunt veræ gratiæ & integritatis: At promissa, quæ per Iesum Christum (is enim, & nemo alius præter vel ante eum, est sermo ille Dei, de quo hæctenus loquor) primùm revelata, & quasi nostra effecta sunt, verè sunt gratiosa; præcepta etiam, quæ primus præscripsit, ipsissimam sanctitatem & integritatem continent, aded ut, etiamsi nemo unquam Deum viderit, & sic per ejus visionem nemini unquam contigerit Deum cognoscere, tamen nos verè gloriari possimus, illum unicum Dei filium, qui nunc in gremio Patris fovetur, & omnium filiorum Dei charissimus est, quicquid ad Dei salutarem cognitionem pertinet, non sub involucris, vel sub umbris, sed apertissimè & disertissimè nobis revelasse, & quotidie, imò perpetuò per aliquot annos annunciando iterasse, & solidissimè confirmasse, ob quam causam etiam sermo, scilicet Dei, a me vocatus est.

Quæ verò hæctenus ego ad probandam Christi præstantiam dixi, ea omnia alii etiam fide digni, & sancti homines, in primis verò Ioannes Baptista, & ejus discipuli suis testimoniis confirmârunt. &c.

Et de plenitudine ejus omnes accepimus.

Et gratiam prægratia.

Lex per Moysen data, Gratiæ & Veritas per Iesum Christum facta est.


Deum nemo vidit unquam, unigenitus filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit.



*Errata quedam sic corrigantur:*

*Pag: 6. lin: 23. caput, capit: II. 24. cultus, cultu. 32. 15. densissimus, densissimis. 64. 13. obtinuerunt, obtinuerant. 70. 10. Mofsis, Mosis. 80. 30. eualarum, eualurum. 91. 25. testimoni, testimonium. 94. 19, 20. esse, esse. ib: si posteriori loco positum sit.*







III. 4367

